DISSERTATIO IVRIS PVBLICI INAVGVRALIS

DE

FORMVLA DVCATVS THVRINGICI

QVAM

PRAESIDE

PERILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO DOMINO

DN. IO. PETRO DE LVDEWIG, ICTO

POTENTISSIMI REGIS CONSILIARIO INTIMO

DVCATVS MAGDEBVRGICI ET ACADEMIAE

CANCELLARIO

ORDINIS IVRECONSVLTORVM PRAESIDE

DYNASTA BENDORFII; PREZII ET GATTERSTADII,

PRO IMPETRANDIS DOCTORIS HONORIBVS

PVBLICE TVEBITVR

AVTOR

IOANNES GOTTLIEB GONNE

QVERFVRTHO THVRINGVS.

DIE IX. MAII CIƆ IƆ CCXLIII.

H. L. Q. S.

HALAE SALICAE

TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.

(7)

Digitized by Google

DE

FORMVLA DVCATVS THVRINGICI.

CAP. I. DE RATIONE INSTITVTI.

SVnt duplices, quibus imperium ciuile quæri poteſt, modi. Vel enim ab ipſo *populo*, cui imperandum eſt, defertur; vel a *ſuperiori* quodam, qui ſibi illud iam ante quæſiuerat, ceditur atque communicatur.

Modi acquirendi imperium.

§. II. Gaudent imperii Germanici ordines, in ſuis territoriis, poteſtate, quæ parum abeſt a ſummo imperio; ſed quibus illa *originibus* atque cauſis referri debeat accepta, diuiſos tenuit adhuc hiſtoricorum atque ICtorum animos. (*a*)

Quis fuerit ſtatuum imperii Germanici?

§. III.

(*a*) Non itaque de eo quæritur: an competat ſuperioritas territorialis ſtatibus? quippe quæ ſatis firmata eſt atque in tuto poſita, diuturno vſu et ipſis imperii legibus; vt de eo diſputare velle, eſſet inſtar piaculi. Sed id ſolummodo in quæſtione eſt: quibus *rationibus* atque *originibus* illa conſtet? Neque

A quicquam

Errores communes.

§. III. Sunt qui omnia hic imperatorum ſeu regum Germaniæ vel deſidiæ tribuunt vel indulgentiæ. His enim *ſolis* olim vniuerſam Germaniam *immediate* ſubiectam fuiſſe, putant; a quibus duces, comites, aliorumque nominum magiſtratus, prouinciis primum *adminiſtratorio* iure præfecti, omnes paulatim ſummatus partes, nunc precibus iterumque vi atque vſurpatione, elicuerint atque extorſerint. Vt eueniret tandem, tum re tum nomine, nouus ille *ſuperioritatis* territorialis partus. Neque periculi aliquid aut dedecoris inferre ſtatibus imperii hos ſuæ poteſtatis natales atque titulos; cum, ſi quid vitii illis hæſerit olim, ſatis illud iam purgatum ſit, longiſſimi temporis *poſſeſſione* atque ipſis imperii *legibus*; quibus firmata ſint illis hæc iurium ſuo-

quicquam periculi vel *imperatori* vel *ſtatibus* imminet; ſi vel maxime deducatur illa ex priſtina populorum Germaniæ *libertate*, ducumque originariorum *ſuprematu*; id quod faciemus in ſequentibus. Notandum hoc eſt contra peſſimos illos nugatores, qui omnem principum *immedietatem* perditum iri, putant, recepto hoc *ſeptem populorum* ſyſtemate. Hos enim vel nunquam penetraſſe in veros horum dogmatum ſenſus, neceſſe eſt; vel, ſi vere intelligunt iſta, ſpargunt hæc talia, ad conciliandam inuidiam, exoſæ immerito veritati. Vt vel inſcitiæ vel calumniæ incurrant notam. Vtroque nomine indigni, quos hic refutemus prolixius.

(*b*) Vnus

Digitized by Google

ſuorum incrementa, imperatoribusque præcluſa via, ad recuperandum amiſſa. (*b*)

§. IV. Sed quam longe hi abſint a veritate, quamque iniurii in principum Germaniæ libertatem, docuit *Vir* et reipublicæ et literarum maximo commodo natus, PERILLVSTRIS *Dominus de* LVDEWIG. Eruto enim atque expoſito in lucem, ex plenæ fidei monumentis, *ſeptem Germaniæ populorum* ſyſtemate: formulam imperii vnam eandemque fuiſſe, demonſtrauit, ab ipſis CONRADI I. atque HENRICI I. temporibus, ducumque *ſummatum*, ipſis regibus Germaniæ *antiquiorem* aut certe ætate parem. (*c*) *Syſtematis LVDEWIGIANI ſumma.*

§. V.

(*b*) Vnus eſt hic plurium error; ſed diuerſæ errandi cauſæ, prout ſcilicet principiis vtuntur diuerſis in iure publico. Quos in certas claſſes redegit atque cauere docuit PERILLVSTRIS *Dominus* a LVDEWIG in *ſingul. iur. publ. præfat. cap.* 2.

(*c*) Vid. VIRI PERILLVSTRIS, nunquam ſine ſummæ laudis præfamine nominandi, opuſc. *Germania princeps ſub Conrado I.* item: *de diſpari nexu ciuitatum cum imperio c.* 3 4. *et* 5. nec non *de principum S. R. I. poteſtate in ſacris ante paces religionis.* Præſertim vero *ſingularia iuris publici in præfat. et c.* 2. ac nouiſſime: Alte aber erneuerte Wahrheit: daß die Herzoge des Teutſchen Reichs, ſo wie ietzo, alſo auch gleich anfangs alle Landes-Hoheit gehabt. Quam expoſuit, peculiari opuſculo, aduerſus *abbatem* GOTTWICENSEM, primum DIVRNIS HALENSIBVS *an.* 1734. inſerto; poſt, appendicis loco, adiecto, der rechtlichen Erläuterung der Reichs-Hiſtorie. Quantum vero proſit hæc maximi momenti veritas, in explicandis at-

Populi Germaniæ ſeptem.

§. V. Scilicet, exareſcente Carolingorum ſtemmate, Germaniam omnem ſeptem populi expleuerant: *Franci*; *Sueui*; *Bauari*; *Thuringi*; *Saxones*; *Venedi* denique in *Brandenburgenſi* marchia et in *Bohemia*. (*d*) Qui omnes, ſicut regibus Francicis ſubfuerant adhuc: ita iam, extincta regali ſtirpe, ſummo iure recipiebant libertatem priſtinam. (*e*)

§. VI.

que luce perfundendis plurimis iurisprudentiæ publicæ argumentis, quæ, erroribus atque tenebris inuoluta, iacuere adhuc, demonſtrauit VIR SVMMVS præſertim in *commentario ad auream bullam*, quem merito ſuo dixeris aureum atque iuris publici locupletiſſimum theſaurum.

(*d*) Habuerunt hoc praecipui *Venedi populi*, in imperio *Francico*: quod non *immediate* ſubiecti eſſent regibus aut acciperent magiſtratus, ab illis pro lubitu impoſitos: ſed retinerent ſuos principes ac regulos, quibus vtebantur reges ceu inſtrumentis ſubiectionis, relicta illis omni fere poteſtate in ſuum populum, nec, præter *fidelitatem* atque *tributum*, exigentes quicquam. Extincto itaque Carolingorum regum ſtemmate, hic non *populi* recipiebant libertatem, ſed *principes* ac *reguli*, quibus iam ab antiquo ſubfuerant Venedi.

(*e*) Etiam Lotharingi, emortua in Germania Carolingorum ſtirpe, eandem moliebantur libertatem, quam cæteri populi, tum *Germanici* tum, extra Germaniam, *Itali* et *Burgundi*. Inhiabat huic prouinciæ et Francorum orientalium rex *Conradus* et occidentalium *Carolus ſimplex*. Quorum vltimus eam ad tempus obtinuit. Sed reduxit ad Germanicum imperium Lotharingiam *Henricus auceps*, ipſique præfecit *Giſelbertum* ducem, fidelitatis iuramento atque matrimonio filiæ ſibi obſtrictum. Licet *hodie* in ſyſtemate imperii Germanici eius rationem

Digitized by Google

§. VI. Euaneſcente itaque, cum Francicis regibus, nexu, ſumma rerum, in quauis prouincia, ad ipſum populum vel eius *proceres* rediuerat, iisque integrum fuerat, quam formam reipublicæ impoſterum vellent colere: *popularem* an *monarchicam?* (*f*) Poſterius quidem tum placuit *Ducum ſupre-matus.*

tionem habere parum referat; ex quo nexus Lotharingiæ cum imperio primum *laxatus* atque diſſui cœptus ab ipſis *ducibus*, conniuentibus quidem imperatore et ordinibus in comitiis an. 1542; tum *ruptus* prorſus, pace cum Gallis nouiſſima, Viennæ contracta, an. 1735. vid. *ſingul. iuris publici* ſupra laudata *in præfat. p. 85. et c. IV. p. 635. ſeqq.*

(*f*) Futile itaque et elumbe eſt *celeb. Dn.* KOPPII argumentum contra hanc libertatis Germanicæ anaſtaſin: quod, ante Francicam ſubiugationem non *duces* habuerint populi Germaniæ omnes, exemplo potiſſimum *Saxonum.* Demus enim hoc interim; Wittekindum non Saxoniæ *vniuerſæ* fuiſſe regem vel principem; tamen Saxones *vnam* conſtituiſſe rempublicam, *liberam* atque *ſummo* quodam *imperio* animatam, nemo, credo, vocabit in dubium. Atque hanc ipſam reipublicæ *libertatem* reductam fuiſſe, extinctis victoris Caroli M. poſteris, ſatis eſt, ad intelligendum ducum, qui poſt electi ſunt, ſuprematum. Tum enim in arbitrio populi fuit poſitum an ſeruare voluerint popularem regiminis formam, an introducere monarchicam; ſicut et ante ſubiugationem Caroli M. liberum illis fuiſſet; migrare *imperium populare* atque ſubire gubernacula principis *vnius.* Et cum eodem illo tempore quo Conradus I. electus eſt rex, Saxones habuiſſe iam ducem, libera poteſtate regnantem, certum ſit: non potuit hic aliunde habere poteſtatem, niſi ex *delatione* populi. A *Francicis* enim *regibus* illa repeti iam non poterat amplius, quippe qui extincti erant; vt, reſoluto iure dantis, reſolui ius accipientis, eſſet neceſſe; neque a *Conrado*,

 rege

cuit ſingulis, vt, delato in vnum imperio, ſibi conſtituerent *principes*. Qui, licet, in quibusdam regiminis partibus, adſtricti eſſent ad *ordinum prouincialium* conſenſum; tamen, ad alios principes ſpectati, pleno *ſuprematu*, in ſacris et ciuilibus, fuerant inſtructi.

Saluus, contracto nouo, cum regibus, nexu.

§. VII. Viſum deinde quidem fuit e re, vt *principes* hi Germaniæ populorum coirent cum Francorum principibus ſiue regibus, Conrado I. atque Henrico I. in *vnius reipublicæ* compagem. Neque tamen quicquam hoc ipſo dimiſerunt a poteſtate, quam a *populis* ſuis acceperant ante, niſi quod fidelitatem iurarent Francorum principi, eique *regis honorem* deferrent, ipſi vero, *regio* nomine abiecto, *ducum* venirent appellatione. (*g*)

§. VIII.

rege nouello, quippe qui nondum erat electus. Vt adeo nullus ſuperſit ducalis imperii largitor, niſi ipſe *populus*. Quod ipſi Saxones etiam ſuſtinuere poſt; vbi autores fuere *Henrico*, vt, *inuito* etiam rege, vteretur poteſtate, qua pater eius vſus fuerat, teſte WITTICHINDO *annal. lib. I. p. 635.* ap. Meibom. Quod ſcilicet haud eſſent ignari, profectam eam eſſe in Ottonem, non *regis* beneficio, ſed ſuo ſiue *populi*. Sunt eiusdem furfuris reliqua, quæ habet in *tract. de inſigni comitum et nobilium different. §. 11. et 12. p. 50. ſeqq.*

(*g*) *Ducis* nomen equidem, ad deſignandum principem, *ſuprematu* inſtructum, natiua ſua ſignificatione, comparatum non eſt. Fuit eius ſenſus *obnoxius* in ipſo imperio *Romano*; a quo illud

illud mutuati ſunt Germanici populi, in prouincias Romani imperii delati, *Gothi*, *Longobardi*, *Franci*. Poteſtas tamen *ducum* diuerſa fuit, pro ipſorum populorum et regnorum diuerſitate. De *Longobardicis* ducibus egi in opuſculo, *de feudo Gaſtaldiæ*. In *Francico* imperio *ducis* appellatio plerumque ſignabat magiſtratum, *adminiſtratorio* iure, præfectum prouinciæ, de quibus ALTESERRA *de ducibus Galliæ*. Licet præter hos eſſent etiam principes cum *ducis* axiomate, *non ſolius* regis beneficio gubernacula reipublicæ tenentes; illi ſcilicet, quos *reliquerant*, populis quibusdam deuictis, reges Franci, cum omni poteſtate, qua antea fuerant gauiſi; ſub nexu tamen fidelitatis atque tributario. Quales fuiſſe *Venedorum* populorum duces, antea diximus. Vt diſtinguere poſſes etiam tum duces in*datos* et *relictos*, ſeu *regios* et *populorum*. In *Germanico* deinde imperio, vbi coiuerant *liberorum* populorum *principes*, in vnius reipublicæ compagem, datum quidem hoc fuit regis honori, vt vel ſolis ducum nominibus, referret priſcam Francici regni ſpeciem. Re ipſa tamen fuit hic ſignificatus vocabuli ducis, ab illius regni rationibus, prorſus alienus. Vt *dux* iam ſignaret potius *principem, ſuprematu, in peculiari quodam populo, inſtructum atque ſolo fidelitatis nexu obſtrictum* regi et regno ſiue imperio. Ex quo prouenit; vt *ducatus* vocabulum, pro iure acceptum, idem ſignificaret, quod hodie vox *ſuperioritatis territorialis*. Quo ſenſu occurrit apud ADAMVM BREMENS. *lib. 4. c. 5.* et in *diplomate* LVDOVICI BAVARI ap. IOANN. *ſpicil. I. p. 492.* vbi concedit comiti de Arensberg *ducatum* infra terminos dominii ſui. Certe iam DITMARVS *Merſeb. in lib. VII. p. 407. ap.* LEIBN. ducem ſignare *territorii dominum*, innuit, vbi de regno Burgundiæ ita memorat: *Wilhelmus comes, de quo prædixi, miles eſt regis in nomine, et* DOMINVS TERRAE *re; et in his partibus nullus vocatur* COMES, *niſi is, qui* DVCIS *honorem poſſidet.* Cæterum intererat tum temporis ideo Conradi I. atque Henrici aucupis, ne populorum principes *regium nomen* ſumerent vel retinerent: quod hoc modo futuri fuiſſent ipſis *dignitate* pares, licet fidelitate obſtricti atque inferiores poteſtate. Contra ex quo *imperatoria* dignitas innexa fuit regno Germaniæ, faciliores

res

Digitized by Google

Regnum Germanicum.

§. VIII. Atque ex hac ipſa confœderatione, prodiit *nouum* prorſus in *Germania* regnum, nouaque regnandi formula, a Francici regni rationibus, quod modo interciderat, toto cœlo diuerſa.

Prouinciæ mediatæ omnes, præter Rhenenſem.

§. IX. Fuerant itaque, in imperio hoc Germanico, omnes populi *regibus* ſubiecti, *mediantibus* ſuis *ducibus*; neque vllibi regibus *ſine medio* fuit poteſtas, niſi in *prouincia Rhenenſi*, in qua ipſi fuerant loco ducis.

Territoria ducum clauſa.

§. X. Ex quo porro clarum eſt: *clauſa* fuiſſe *ducum* Germaniæ *territoria*, vt locum haberet regula: quicquid in territorio, illud de territorio; omnesque in illis epiſcopi, comites atque ciuitates eſſent *ducali* imperio *ſubiecti*, ſeu, vt hodie loquimur, *landſaſſii.*

Ducatuum fata et ſtatuum imperii augmenta.

§. XI. Comparatos hoc modo ducatus, varii deinde afflixere caſus atque viciſſitudines. Nam ſi *Brandenburgicum* excipias et *Bohemicum*, reliqui partim *diſciſſi* ſunt, quod *Saxoniæ* atque

res eſſe potuere imperatores, in indulgendo *principibus* atque *prouinciis* imperii, *regis* et *regni* axiomate. Vt potius faceret ad eorum dignationem atque iura præcipua, imperare regibus. Docuit hoc poſtea ipſe rerum vſus; nihil officere *nexum* cum imperio *regiæ* dignitati, exemplo *regis Bohemiæ*; archiducum *Auſtriæ* et Caroli audacis, ducis *Burgundiæ*, licet in duobus vltimis, res ſteterit intra apparatus.

(*b*) De

atque *Bauariæ* accidit, partim prorſus *extincti*, vt *Sueuicus* et *Thuringicus*. Quo facto proceres prouinciæ, epiſcopi, comites atque ciuitates, qui ducibus ſubiecti fuerant adhuc, maluere ſubeſſe *imperatori* atque imperio *immediate*, ſibique aſſerere, in ſuis terris, iura *ducalia*. Cæterum nihilominus durauit aliquis inter illos *nexus* atque conſiliorum, de ſalute vniuerſi populi, communio; inſtituto, hodiernis imperii *circulis* haud longe abſimili. Et facile quidem imperatores conceſſere *immedietatem*, vt aucti fuerint hac ratione, mirum in modum *ſtatuum imperii immediatorum* numeri; ſed, in permittendis *ducalibus* iuribus, fuere tenaciores, cum potius illa ſibi vindicarent cum ipſis, in ducatibus extinctis, ducum *domaniis*. Quæ quidem contraria ſtudia diu viguerunt, (*h*) donec paulatim, *feudali titulo* atque *priuilegiis*, ab imperatore indultis, conſequerentur noui hi imperii ſtatus, quod, iure quodam ſuo ipſis competere, imperatores negauerant ante.

De Thuringico ducatu, cur hic ſigillatim?

§. XII. Eſt hæc fere LVDEWIGIANORVM dogmatum, in hoc argumento, ſumma. Quæ quidem ipſe VIR PERILLVSTRIS luculenter demonſtra-

(*h*) De Saxoniæ ducatu vid. PERILLVSTR. *Dominus de* LVDEWIG in *Iuribus Feudor. cap. VI. quæſt. 7. ſ. 7. not. 248. p. 332.*

monſtrauit tum vniuerſim; (*i*) tum ſigillatim, de *Bauarico* et *Brandenburgico* ducatibus, emiſſis in lucem opuſculis. (*k*) Ego quidem, non tam autoritatem ſummi Viri ſecutus, quam argumentorum vim atque omnium medii æui monumentorum concentum, non abs re futurum eſſe credidi, ſi, greſſibus licet impar, veſtigiis hisce inſterem, pergeremque in explicandis *ſingulorum* populorum rationibus. Quam quidem operam *Thuringorum* populus mihi imprimis flagitare viſus fuit, quod non deſint, magni nominis, viri, qui Thuringis *ſeparati populi* iura prorſus negauerint, eosdemque ducatus *Saxonici* crediderint fuiſſe partem.

CAP. II.
DE
REGNO THVRINGICO.

Origines populi et nominis.

Quæ Thuringici populi iuxta et nominis origines fuerint, quæue primæ ſedes; quæ deinde per terrarum orbem migrationes atque res

(*i*) Vid. *not. c.*

(*k*) De Bauarico ducatu in opuſcul. *de principum S. R. I. poteſtate in ſacris ante paces religionis;* et denuo in opuſculo, contra *abbatem Gotwicenſem* ſcripto, quod ſupra laudauimus. De Brandenburgico ducatu vid. opuſcul. *de formula ducatus Brandenburgici.*

(*a*) Quo

Digitized by Google

res geſtæ; quæ denique, antiquiſſimis illis temporibus, inſtituta aut reipublicæ formula? vt incerta, relinquimus in medio. Res nobis erit cum *Thuringis*, ex quo fixas eos in *Germania* coluiſſe ſedes atque inſignem patriæ noſtræ tractum impleuiſſe, certis edocemur priſtini æui monumentis.

§. II. Antiquiſſima Thuringorum, in *Germania* noſtra, memoria vix vltra ſeculum V. poſt C. N. protenditur et a primis fere illis, quibus innoteſcunt, temporibus, ***reges*** illos habuiſſe, conſtat, ſcriptorum plenæ fidei teſtimoniis. (*a*) *Thuringicum regnum in Germ.*

§. III.

(*a*) Quo tempore regnari cœperint Thuringi, nemo facile definiuerit. Tædet nugarum de *Sennone*, Antenoris filio; *Marcomero*, *Hermanno*, *Hamero*, *Herolo* ſiue *Heroldo*, *Merwigo* aliisque Thuringorum regibus, quibus ſcatent Thuringiæ *chronica* et quibus ſua etiam conſpurcauit TRITHEMIVS. Primus Thuringorum rex, de quo ſcriptores Francici nos reddunt certos, eſt BISINVS, qui ab ipſo ſeculi V. medio regnauit, clarus potiſſimum hoſpitio, quo *Childebertum*, Francorum regem, ſed regno pulſum, ſuſcepit atque, octo annis, aluit. GREGORIVS TVRONENSIS *hiſt. Franc. lib. II. c. 12.* add. EXCERPTA CHRON. *c. 11.* GESTA REGVM FRANC. *epitomata c. 6.* AIMONIVS *lib. I. c. 7.* SIGEBRTVS GEMBLAC. *ad ann. 461.* Huius vxorem, *Baſinam*, deſerto marito, ſecutam fuiſſe Childebertum in Galliam, ipſique matrimonio iunctam, peperiſſe Clodouæum, iidem autores tradunt. Poſt Biſinum regem, tres eius filii, BADERICVS, HERMINIFREDVS atque BERTHARIVS regnum inter ſe diuiſerunt. GREGOR. TVRON. *lib. III. c. 4.* Et fuiſſe quidem hos fratres, Biſini regis filios, probat VENANTIVS

TIVS FORTVNATVS *in vita* RADEGVNDIS: *beatiſſima igitur Radegundis, natione barbara, de regione Thuringa,* AVO *rege* BASINO, *patruo Herminifrido, patre rege Berthario.* Suſtulit *Hermenfridus* e medio fratres, adiuuante eum *Theoderico,* rege Francorum Auſtraſiorum, a quo deinde ipſe victus atque peremptus, regum Thuringiæ fuit *vltimus.* GREGOR. TVRON. *lib. III. c. 4. excerpt. ex* FREDEGAR. *c. 33.* AIMON. *lib. II. c. 9.* Et hi quidem ſunt quos nouimus Thuringorum reges, ſuis magis calamitatibus claros, quam rebus proſpere geſtis. Neque enim Francici ſcriptores quicquam de iis tradiderunt, niſi vbi iis negotium interceſſit cum ſuis Francis. Cæterum licet prolatiores eſſent tum Thuringorum fines, quam *hodiernæ* Thuringiæ: quin tamen hanc ipſam, antiquum illud regnum comprehenderit, non ſinunt, nos ſubitare ſcriptores Franci, tum quod *Rhenum* tranſiiſſe *Francos,* memorant, vbi in *Thuringos* mouiſſent; tum quod *Vnſtrudis,* fluuii, mentionem faciunt. GESTA FRANCOR. *c. 22. in illo tempore Theodericus et Theutbertus filius eius et Clotarius rex, cum Francorum exercitu Rhenum transeuntes, in Toringiam dirigunt, contra Ermenfridum regem Toringorum. - - - Fugit autem Ermenfridus cum Toringis vsque* ONESTRVDEM *fluuium.* GREGOR. TVRON. *lib. III. c. 7.* & AIMONIVS *lib. II. c. 9.* itidem *Oneſtrudem* nominant, vt taceam WITICHINDI *Corbeienſ.* de eadem re, teſtimonium. Quod ideo monendum duximus, ne quem forte moueant LAVRENTII argutiæ, imo gerræ: de Thuringorum regno, *trans Rhenum,* in ipſa *Gallia* aut *Heluetia,* quærendo; de *Hermenfrido,* et filio Biſini et rege Thuringorum falſo credito; de Thuringis, exeunte demum *ſeculo VI.* in has terras delatis et quæ ſunt reliqua futiliſſima commenta, quibus repletum integrum opuſculum edidit, cum inſcriptione *origines Doringicæ.* Sunt a natura poſita locorum ſigna, fluuii, montes, ſiluæ, lacus etc. vnica fere quibus nitimur in geographia priſcæ Germaniæ, vrbibus atque operibus manu factis, ætatemque laturis pene vacuæ. Quæ quidem niſi velis agnoſcere; ſed mouere temere, prout impotentis animi iuſſerit libido, quid quæſo tandem erit certum?

(*b*) Pro-

§. III. Poteſtas regum in Thuringia an libera fuerit an adducta, intuitu *ordinum regni*? non eſt noſtrum, vt inquiramus. Facere poſſet ad coniectandum prius, *hæreditaria* filiorum *ſucceſſio* atque ipſius regni inter illos *diuiſio*. Quam quidem obtinuiſſe, demonſtrant exempla. (*b*) Contra poſterius conuenire magis videri

Regum ſucceſſio hæreditaria.

(*b*) Probauimus enim not. præc. *Bertharium*, *Badericum* et *Hermenfridum* fuiſſe BISINI regis *filios*. Qui cum omnes ſucceſſerint patri atque diuiſerint inter ſe *paternum* regnum: firmiſſimum ſane ducitur inde argumentum; fuiſſe ſummam poteſtatem *integræ ſtirpi* collatam adeoque *hæreditariam*. Oggerit quidem *celeberr.* STRVVIVS, in *diſſert. de landſaſſiat. in Thuring. c. 2. §. 3.* quod INCERTVS AVTOR *de landgrauiis Thuringiæ c. IV. in* PISTOR. *ſcript. Germ. tom. un.* an. 426. *de conſilio regis Francorum, Merwigum, eius cognatum, in regem ſibi elegiſſe Thuringos*, memoret. Sed præterquam, quod huius ſcriptoris non ea eſt autoritas, vt illi in rebus, adeo a ſuo æuo remotis, fides tuto haberi poſſit, certe antiquius, *electi* regis, exemplum non impedit, quo minus regnum poſt credatur *hæreditarium*. Omnia enim hæreditaria regna ab electione cœpiſſe, neceſſe eſt. Licet illud interſit, quod in hæreditariis electio prima non pertineat ad *perſonam* electi ſolummodo: ſed ad integram poſterorum *progeniem*. Facit porro pro regno hæreditario *regalis* in Thuringia *ſtirpis* commemoratio, quæ aliquoties occurrit apud VENANTIVM FORTVNATVM *lib. VIII. 1.*

GERMINE REGALI, *pia neptis Hermeneſridi.*

et *lib. eod. carm.* 7.

REGALI *de* STIRPE *potens Radegundis in orbe.*

nec non in *carm. de excidio Thuringiæ*:

Sic miſeræ dulces conſummauere PARENTES
REGIVS *hac ſerie* SANGVIS *origo fuit.*

 Qui-

Digitized by Google

deri poſſet indoli populorum, vt tum quidem fuerat, rudi atque effreni ac libertatis admodum amanti. Quicquid ſit; hoc magis ad rem facit noſtram: *liberum fuiſſe regnum Thuringicum*, poteſtatemque regum non a beneficio aut nutu *alterius principis* pendentem; ſed ab ipſo populo profectam in reges, *regiamque ſtirpem.*

Infeſtationes Hunnorum

§. IV. Sed non licuit diu iſta felicitate frui Thuringorum regibus. Primum quidem Attila, Hunnorum rex, vniuerſi orbis imperia anhelans, ipſorum fortunis atque libertati fuiſſe, videtur infeſtus; licet non ſatis conſtet: an ſocii ſolummodo ipſi fuerint num ſubiecti et tributarii? Et ſi qua forte tum fuit imminuta Thuringici regni libertas: tamen euanuit, cum ipſa vita, Attilæ in Thuringos imperium. (*c*)

Et Francorum.

§. V. Grauius atque diuturnius malum a *Francorum regibus* paulo poſt imminuit. Iam *Clodio* Francorum rex ſiue princeps intra *Thuringorum*

Quibus addi poſſunt literæ *Theoderici* regis Oſtrogothorum ad *Hermenfridum* ap. CASSIODOR. *lib. var. IV. ep. I. vt qui de* REGIA STIRPE *deſcenditis, nunc etiam longius claritate imperialis ſanguinis fulgeatis.*

(*c*) Vid. IORNAND. *de reb. Get. c. 82. et 83.* iuncto SIDONIO APPOLLINARI *carm. VII. v. 324.* Cæterum, quæ, de *Attilæ* geſtis in *Thuringia*, fingunt chronicorum Thuringiæ conſarcinatores, merito exploſit SAGITTAR. *in antiquit. regn. Thur. lib. II. c. 4.* et PAVLINI *in chron. Iſenac.* §. 4.

(*d*) GRE-

ringorum fines, *Diſpargi*, ſedem fixiſſe, memoratur ſcriptoribus. (*d*) Poſt inter vtrumque populum diu, mutuis damnis atque incurſionibus, varia fortuna, conflictatum fuit. *Clodouæus*, rex Francorum an. 492. tributum ſoluere, coegerat Thuringos; (*e*) neque tamen minus a Thuringorum parte aliquoties ſtetit fortuna, vt *Franci*, pacem ab ipſis petere ſupplices atque *obſedes* dare, aliquando fuerint adacti. (*f*) Sed hactenus quidem magis de præda, quam de ſumma rerum inuicem certatum eſſe, videri poterat.

§. VI. Acceſſerat Thuringorum rebus haud parum roboris ab amicitia cum *Theoderico* rege *Oſtrogothorum*, quem ſibi etiam affinitatis vinculo iunxerat *Hermanfridus* rex, contracto, cum eius nepte ex ſorore, matrimonio. (*g*) Aſt mortuo Theoderico atque regno eius ciuilibus discordiis — *Regni euerſio.*

(*d*) GREGOR. TVRON. *hiſt. Franc. lib. II. c. 9.* AIMONIVS *de geſt. Franc. lib. II. c. 4.* SIGEBERTVS GEMBLACENSIS *ad an. 431.* Cæterum de *Diſpargi* ſitu miras eruditorum diſſenſiones vid. ap. SAGITTAR. *lib. II. c. 2.*

(*e*) GREGORIVS equidem *in hiſt. Franc. lib. 2. c. 28. ſubiugatam* prorſus Thuringiam a Clodouæo, refert: ſed verius GESTA REGVM FRANCOR *c. 10. Deuicto populo, totaque terra vaſtata, Toringos tributarios Francorum fecit.*

(*f*) GREGOR. TVRON. *lib. III. c. 7.*

(*g*) PROCOP. *de bell. Goth. lib. I.* et CASSIODOR. *var. lib. IV. ep. I.* IORNANDES *de reb. Get. c. 88.*

(*h*) PRO-

Digitized by Google

cordiis laborante, *Theodericus* Auſtraſiorum Francorum rex, violatam promiſſorum fidem prætexens bello, *Hermenfridum*, grauiſſimo vicit prœlio, eumque, aliquot annis poſt, *Tolpiaci*, dolo ſuſtulit e medio. Atque tum, redactis in ſuam poteſtatem Thuringorum terris, *regiaque familia* partim fugata partim in Galliam abducta, *finem* regno *Thuringico* impoſuit funeſtiſſimum. (*b*)

CAP.

(*b*) PROCOP. *de bell. Goth. lib. I.* GREGOR. TVRONENS. *hiſt. Franc. lib. III. c. 7. et 8.* EXCERPTA CHRON. *ex* FREDEGAR. *c. 33.* GEST. FRANCOR. *c. XXII.* AIMON. *lib. II. c. 9.* SIGEB. GEMBL. ad an. 524. *Saxones* tum quidem aut in belli aut prædæ ſocietatem veniſſe cum Francis, ne verbulo quidem meminit quisquam ſcriptorum *Francicorum*; vt non immerito dubia haberi poſſit hac in re fides WITICHINDI *annal. lib. I.* qui ſcripſit ſexcentis fere annis poſt. Præſertim cum ſint quædam eius narrationis capita, ſine controuerſia, *falſa* atque ficta ex ingenio. Quo referas Hermenfridi, cum Theoderici regis Francorum ſorore, *coniugium*, indeque repetitam *belli occaſionem*. Neque quicquam ad rem facit *numus*, quem SAGITTARIVS *lib. II. c. 12. ſ. 23.* in *diuiſæ*, inter Francos et Saxones, *Thuringiæ* memoriam, cuſum fuiſſe, fruſtra quidem, credidit. Eſſe numum *Thuringicum* literæ: T H V. ſic ſatis produnt quidem; ſed, ſi dare hic licet aliquid coniecturis, *duas coronas*, quæ in illo iunctæ apparent, explicarem potius de illa Thuringiæ *coniunctione* vel cum Saxonia vel cum ipſo regno Germanico, quæ contigit ſub HENRICO *aucupe*. Quo ipſo egregie confirmari poſſent, quæ infra c. IV. traditurus ſum, de *ducis Thuringici*, poſt extinctos Carolingos, *ſuprematu*.

(*a*) Omnes

Digitized by Google

CAP. III.
DE
FORMVLA THVRINGIAE
SVB REGIBVS FRANCORVM.

Victi Thuringi atque *proprio rege* deſtituti Theoderico regi ſe ſubiecere; eoque ipſo ſumma rerum in Thuringia in eum translata eſt. Licet autem literarum monumentis conſignatum non ſit; quibus *conditionibus* arma poſuerint Thuringi, Theodericumque regem ſuſceperint dominum: poteſt tamen, tum ex communibus iſtius æui moribus ac inſtitutis; tum ex ſequentium temporum euentis, colligi: *non infinitam* fuiſſe aut Thuringorum ſubiectionem aut regum victorum poteſtatem. *Quæ ſubiectionis leges?*

§. II. Fuit hoc in more poſitum omnium fere iſtius æui populorum, vt victa quæque gens aut ſponte ſubiecta alieno principi, nexum contraxiſſe ſibi videretur vel ad *dies vitæ* eius ſolummodo vel, quod maximum erat, quousque *ſucceſſores* relinqueret *filios*. (*a*). Et Thuringis quidem eadem tum fuit mens nec *regno Francico*; ſed *regi* victori *Theoderico*, eiusque *poſteris* ſe ſub- *Non regno ſed regiæ ſtirpi* THEODERICA *ſubiecti Thuringi.*

(*a*) Omnes Germaniæ populos *Merouingis* æque ac *Carolingis* Francorum regibus hac lege ſubiectos fuiſſe, demonſtrabimus infra not. (*c*) et (*b*).

 (*b*) MARIVS

ſubiecere. Qua de re, extinctis *Theodeberto* filio et *Theodebaldo* nepote Theoderici; obſequium detrectauerunt *Clotario*, Theoderici *fratri*, atque cum *Saxonibus*, eodem iure agentibus, pro *libertate* tuenda, arma iunxerunt ſocia. (*b*)

Eadem ſubiectionis lex ſub CLOTARIO *an.* 556.

§. III. Sed iterum victi Thuringi atque *Clotario* regi viribus impares, denuo an. 556. eius ſe ſubmiſere imperio; nec aliam fuiſſe ſubiectionis legem, ac fuerat in Theoderico, vt nempe *ipſi* ſolummodo atque eius *poſteris* regibus parerent, comprobauit euentus. Nam quieti atque intemerata fide coluere regum, a *Clotario deſcendentium*, maieſtatem, quamdiu illi regni gubernaculis præfuere *ipſi*. Sed vbi deinde, poſt *Dagoberti I.* exceſſum, *maiores domus*, Sigeberti iuventute abuſi, poteſtatem regiam ſibi paulatim ſume-

(*b*) MARIVS AVENTIC. *in chron. ad an. XV. poſt Conſ. Baſil.* GREGOR. TVRON. *lib. IV. c. 10.* EXCERPTA CHRON. ex FREDEGAR. *hiſt. miſcell. c. 51.* AIMON. *lib. 2. c. 27.* SIGEB. GEMBL. *ad an. 556.* Notanda ſunt præſertim verba, quibus Saxones, victi a Clotario, pacem petiiſſe memorantur GREGOR. TVRON. *c. l. c. 14. Saxones legatos ad eum mittunt, dicentes: non ſumus contemptores tui, et ea, quæ* fratri et nepotibus tuis *reddere conſueuimus, non negamus.* Quid enim opus fuiſſet memorare *fratrem* et *nepotes* Clotarii; niſi hæc ipſa *belli* fuiſſet *cauſa*: quod negauerint *Saxones* et *Thuringi*; teneri ſe *eodem* iure *Clotario*, quo obſtricti fuerant *Theoderico*, eiusque poſteris?

(*c*) Ex-

ſumere inciperent, regibus, præter *inane nomen*, parum relinquentes autoritatis; tum quidem *Thuringi*, inſtar cæterorum Germaniæ populorum, expiraſſe *pactorum*, quibus ſe olim *Clotario* eiusque poſteris ſubiecerant, efficaciam, rati, (*c*) primi in *libertatem* ſeſe iterum vin-

(*c*) Exponit hanc vnanimem populorum Germaniæ ſententiam *Fragmentum* ERCHAMBERTI *de regibus et maioribus domus* ap. *du* CHESNE *T. I. p. 780. Exhinc reges nomen, non honorem habere cœperunt. - - - Illis namque temporibus ac deinceps Gotefridus dux Alemannorum, cæterique circumquaque duces noluerunt obtemperare ducibus Francorum (maioribus domus) eo quod non potuerunt regibus Merouecis ſeruire, ſicut antea ſoliti fuerant. Ideo ſe vnusquisque ſecum tenuit.* Fuere inter hos ſine dubio *Thuringi*. Ita enim FRAGMENTVM *de maior. dom.*: *Pipinus Suauos et Boioarios*, TORINGOS *et Saxones, crebris irruptionibus frequentibusque præliis contritos, ſuæ ditioni ſubiugauit. Hæ etenim gentes et aliæ plurimæ, multis ſudoribus adquiſitæ, Francorum ſummo obtemperabant imperio: ſed propter deſidiam regum, domeſticasque diſſenſiones et bella ciuilia, quæ in multas partes diuiſi regni ingruebant, legitimam dominationem deſerentes, ſinguli in proprio ſolo armis libertatem moliebantur defendere.* Aduertant hic animum, qui *rebellionis* crimen, immerito quidem, ſolent impingere *populis*, iuſtam libertatem recipientibus tempore *Conradi I.* Diſcant ex hoc ipſo rerum ſtatu, qui ſecutus fuit *Merouingicæ ſtirpis* exauctorationem, quam immutabilis, quamque alta mente repoſita fuerit Germanis dogmatis veritas: *emortua ſtirpe victoris, redire victis libertatem.* Neque enim ratio ſolum et pacta loquuntur pro cauſæ iuſtitia, quam tuiti ſunt populi Germaniæ ſub *Conrado I.* ſed ipſa maiorum *exempla.* Cæterum fuit hæc ipſa ratio *maioribus domus*, *Pipino* ſeniori et *Carolo Martello*, cur, poteſtate

regia

vindicarunt, ſub duce ſuo *Ratulfo.* (*d*) Qui quidem a Dagoberto olim inſtitutus; iam non *regum* amplius nomine aut beneficio præerat Thuringis, ſed ipſius *populi.* Et ſtrenue tuitus eſt imperium, iuſtiſſime quæſitum, contra *Sigebertum* aut eius potius rectores, *maiores domus*; vt graui prœlio cœſi, ſalutem atque pacificum trans Rhenum reditum pacti, reliquerint Thuringos *nouo* ſuo *domino.* Quem more prorſus *regio* in *Thuringia* regnaſſe, niſi quod *nomine* abſtinuerit, ipſi fatentur ſcriptores Francici. (*e*)

Interſtitium libertatis ab an. 644.

§. IV. Vſi ſunt hoc *libero*, a Francorum imperio, *ſtatu* Thuringi per integrum fere ſeculum, ſuccedentibus *Ratulpho*, eadem autoritate, ducibus aliis, quorum quidem nomina, præter *Theowaldum*

regia dudum potiti, *nomine* et *ſchematibus* externis abſtinuerint, aluerintque diu reges *oſtenſionarios:* ne ſcilicet præberent gentibus ad *deſciſcendum* cauſam. Sed cum nihilominus ſentirent Germani *glaucoma*, nec illudi ſibi paterentur ſcenicorum regum laruis: nihil iam ſupererat iuniori Pipino metuendum, ſi finem imponeret *fabulæ*, regiumque nomen transferret in ſe *ipſum.*

(*d*) FREDEGAR. *chron. c. 87.*

(*e*) FREDEGAR. *cit. cap 87. Radolphus, ſuperbia elatus, ad modum* regis *ſe eſſe cenſebat, amicitias cum Winidis firmans, cæterisque gentibus, quas vicinas habebat, cultum amicitiæ obligabat, in verbis tamen Sigeberto regimen non denegabant. Nam in factis fortiter eiusdem reſiſtebant dominationi.*

(*f*) Me-

waldum et *Hedenem*, obliuione et ſilentio ſcriptorum inuoluta ſunt. (*f*)

Iterum ſubiecti Carolingis, non regno.

§. V. Demum *Pipinus* atque eius filius *Carolus Martellus*, Thuringos æque ac reliquos Germaniæ populos, a Francici regni compage diu ſolutos, *denuo* in ſuam redegere poteſtatem. (*g*). Vt nunc hi non priſtino *Merouingorum* iure, quippe quod dudum expirauerat, illis imperauerint; ſed ex *noua* prorſus *cauſa*, ſuo nempe marte partis victoriis, indeque ſecuta victi populi ſubiectione. Eadem tamen in hac *altera* libertatis Thuringorum iactura, pacta fuit *conditio*, quam, ſub *Merouingicis* regibus, obtinuiſſe, antea diximus. Vt ſcilicet fideles eſſe iuberentur Thuringi, *victoribus* ſolummodo eorumque *filiis* ſiue *poſteris maſculis*. (*h*) Qua iura-

(*f*) Meminit horum ducum iuxta et liberæ eorundum poteſtatis in Thuringia WILIBALDVS in vit. S. BONIFACII *c. 8.* Cæterum *Gozbertum*, *Ratulfi* nepotem, circa eadem hæc tempora, Thuringorum ducem, coniecturis ſibi aſſecutus videtur ECKARDVS *rer. Franc. orient. T. I. p. 270, et 283.*

(*g*) Vid. loca not (*c*) allegata.

(*h*) Conuenit, vt hoc loco probemus; *Carolingos* reges, in ſubiugandis populis, ſuæ magis *familiæ* rationem habuiſſe, quam *regni* Francici. Colligi autem hoc poteſt ex ipſa *formula* iuramenti fidelitatis, cuius aliquam ſcriptores ad nos pertulerunt memoriam. Ita de *Boioariorum* duce ANNALES FRANC. *ap.* REVB. ad an. 757. *Illuc et* THASSILO *dux* BOIOARIORVM, *cum primoribus gentis* ſuæ venit *et*, MORE FRANCICO, *in*

 manus

manus regis inuaſſaticum, manibus ſuis, ſemet ipſum commendauit, fidelitatemque, tam IPSI REGI PIPINO, *quam* FILIIS *eius Carolo et Carolomanno, iureiurando ſuper corpus S. Dionyſii, promiſit.* REGINO *in chron* ad an. 756. *Et rex Pipinus tenuit palatium ſuum in Compendio, ibique* THASSILO *venit, dux Boioariorum et ſuus effectus eſt per manus, ſacramentaque multa iurauit* PIPINO *et* FILIIS *eius, ſupra corpus S. Dionyſii, S. Germani et S. Martini. Simul et eius* HOMINES MELIORES *fecerunt.* IDEM ad an. 781. *Per idem tempus legati apoſtolici, Formoſus et Damaſus, epiſcopi, cum miſſis regis - - - directi ſunt ad Thaſſilonem ducem, commonentes et conteſtantes, autoritate apoſtolica, vt recordaretur priorum ſacramentorum et non aliter faceret, niſi ſicut iureiurando iam dudum promiſerat* PIPINO *regi et* FILIIS *eius.* IDEM *ad an.* 787. *Apoſtolicus - - iratus anathemizauit prædictum Thaſſilonem et omnes illi fauentes, niſi fidelitatem, quam regi* PIPINO *et* FILIO *eius Carolo promiſerat, per omnia obſeruarent.* De *Saxonibus* ANNALES FVLDENS. ap. FREHER. ad an. 777. *Ibi Saxones baptizati bingenuitatem et omnem proprietatem ſuam, ſecundum morem gentis, abdicantes, regi tradiderunt, ſi a die illa et deinceps Chriſtianitatem et* REGI *ac* FILIIS *eius fidelitatem abnegaſſent.* Et POETA SAXO ad an. 803;

> *Hac igitur pacis ſub conditione fideles,*
> *Se Carolo,* NATISQVE SVIS STIRPIQVE NEPOTVM
> *Ipſius, iurauerunt, per ſecla futuros.*

De Friſiis iterum ANNAL. FVLD. ad an. 873. p. 37. *Hrouduſfus, quidam Normannus de regio genere - - - claſſem duxit in regnum Ludouici regis, in comitatum ſcilicet Abdagi regis, miſſisque nunciis præcepit, habitatores loci illius tributa ſibi ſoluere. Qui cum reſpondiſſent, ſe non debere tributa pendere niſi* HLVDOVICO *eiusque* FILIIS etc. Denique luculentiſſime omnium hanc gentium philoſophiam explicant Normanni apud SIGEBERTVM GEMBL. ad an. 885. *Carolomanno rege Francorum mortuo, cuius frater Ludouicus iam priori anno obierat, Normanni Franciam repetunt, dicentes, ſe* CVM REGE *Francorum tantum, non* CVM FRANCIS *pacis pepegiſſe pactum.* Quæ cum ita ſint, quis vitio vertat populis Germanicis, aut rebellionis notam ipſis inurat?

quod

Digitized by Google

iuramenti *formula* etiam poſt *Carolo M.* fidem addicere debuere, vbi conſpirationis contra regem incurriſſent reatum aut certe ſuſpicionem. (*i*)

§. VI. Quousque ergo ſub *Francicis* regibus fuere *Thuringi*, reges quidem *ſummam* habuere in Thuringia *poteſtatem*. Qua de re illos ius banniendi in hoſtem, iurisdictionem et vniverſum ius iudiciarium, ius leges ferendi, ſalvis tamen legibus genti propriis, tributa, ius fiſci, ius circa commercia aliaque iura maieſtatica exercuiſſe, præterea domaniales terras poſſediſſe in Thuringia, legimus.

Iura regum Francorum in Thuringia.

§. VII. Merouingicæ ſtirpis reges, an ſtatim ab initio exercendæ ſuæ poteſtatis *ducibus* vſi ſint miniſtris; num vero *comitibus* diuiſam demandauerint prouinciam? ſilentibus de hac re annalibus, ego non definiuerim. *Primus*, quem nouimus, *Thuringiæ ducem*, eſt *Ratulphus*;

Duces Merovingorum administratores.

quod extincta Carolingica ſtirpe, libertatem receperint priſtinam, non *ipſo iure* modo atque ratione naturali; ſed *expreſſis* etiam *pactis* debitam. De quo in *cap. ſeq.* vberius dicturi ſumus.

(*i*) FRAGMENTVM ANNALIVM FRANCOR. in *corpore hiſtor. Franc. veter.* FREHERI ad an. 786. *Transmiſit rex ipſos* THVRINGOS, *vna cum miſſis ſuis, aliquos in Italiam et ad S. Petrum, quosdam vero in Neuſtriam atque in Aquitaniam, per corpora ſanctorum ſcilicet vt iurarent fidelitatem* REGI LIBERISque *eius, quod et ita actum eſſe, comprobatur.*

(*k*) FRE-

phus, Chamari filius, a *Dagoberto I.* inſtitutus. (*k*) Et quamdiu quidem Thuringi, ſuum cum *regibus Merouingicis* durare nexum, credidere; *Ratulphus*, et ſi qui ante eum fuere *duces*, non *proprio iure* præfuere Thuringiæ; ſed *adminiſtratorio.*

Duces domini territoriales.

§. VIII. Ex quo vero, ob regum ſocordiam atque translatum in *maiores domus* imperium, expirauit Thuringorum ſubiectio: idem Ratulphus, iam mutata *cauſa* ſuæ poteſtatis, non *regibus* illam ferre amplius poterat acceptam; ſed ipſi *populo.* Interſcenii igitur illius *duces*, quo per centum fere annos liberos fuiſſe diximus Thuringos, *iure proprio* regebant prouinciam, erantque *domini* vere *territoriales*, ſuis auſpiciis bella gerentes, pacem atque fœdera ſancientes cum vicinis populis, (*l*) *clauſum* territorium, *comites*que ſibi ſubiectos habentes, (*m*) nec *regio* *nomine*

(*k*) FREDEGAR. *chron. c.* 77. De genere eius coniecturas vide apud ECKARDVM in *hiſt. Franc. orient. T. 1. p.* 270. *ſqq. p.* 281.

(*l*) Vid. ſupra not. (*e*).

(*m*) WILIBALDVS *in vit. S.* BONIFACII *c. 8.* ita de Thuringis: *Fatiſcente ſuorum regum dominio, magna quidem eorum comitum multitudo, ſub Theobaldi et Hedenes periculoſo primatu, qui lugubre ſuper eos tyrannici ducatus et infeſtum vaſtationis potius, quam deuotionis obtinebant imperium, vel corporali per eos præuenta morte vel hoſtili ſiquidem eductione, captiuata eſt.* Quem *tyrannicum* ducatum vocat *Wilibaldus*, hodie appellamus

nomine indigni, ſi quidem illo vti, ipſis e re fuiſſet viſum. (*n*).

Duces Carolingorum iterum adminiſtratores.

§. IX. Sub *alterius ſtirpis* regibus, quibus nouo nexu adſtricti fuerant Thuringi, plures quidem noti ſunt eorum *duces;* licet a *Ludouici Germanici* æuo demum celebrentur nec alienum ſit a fide, *duces* vsque eo in *Thuringia* fuiſſe *nullos.* Sunt vero *Tachulphus* ſub Ludouico Germanico; *Ratulphus*, ſub eodem Ludouico eiusque filiis; *Poppo*, ſub Carolo craſſo et Arnulpho; *Conradus*, ſub eodem Arnulpho ac *Burchardus* ſub Ludouico infante. Et hi quidem omnes fuere *adminiſtratores* poteſtatis *alienæ*, ipſorum nempe regum. Cum enim ipſe Thuringorum populus, victus atque viribus impar, ſubmiſerat ſe regum imperio: nihil poteſtatis proficiſci a *populo* iam poterat amplius in duces, quam iam in reges transtulerant omnem. Neque *reges*, quamdiu viguit Francici regni robur, vnquam

pellamus *ſuprematum* vel *ſouuerainitatem.* Quo ſenſu vox tyrannidis ſæpius occurrit, in medii æui ſcriptoribus. Cæterum ſi ita intelligamus Wilibaldum: quod *Theobaldus* et *Hedenes* duces, *proceres* et *comites* Thuringiæ, ob *ſacra Chriſtiana* ſuscepta, perſecuti ſint, qui ſenſus admodum congruit iis, quæ antecedunt in Wilibaldina narratione: habemus etiam hic exemplum *iuris circa ſacra* atque religionem, exerciti a *ducibus* hisce Thuringiæ.

(*n*) Vid. ſupra not.

vnquam ducibus hiſce *proprium* aut *hæreditarium* ius aliquod conceſſiſſe, leguntur, in Thuringiam vniuerſam. Vt potius ipſi, vbi præſentes eſſent in Thuringia, *iudicia* adminiſtrauerint; *comitia* prouincialia conuocauerint; *comites* inſtituerint, *ſubordinatos* quidem ducibus, non vero *ſubiectos*; alios etiam magiſtratus, ſi ita res poſceret, et pacis et belli tempore, *ſubmiſerint* in prouinciam, cum eadem poteſtate, qua fuerunt duces ipſi; imo, ſi ita mereri viderentur, duces *deſtituerint* ſuo officio ac poteſtate. Neque ad omnes regiminis ciuilis partes pertinuit eorum adminiſtratio; vt potius *bellicarum rerum* cura ipſis potiſſimum incubuerit, eſſentque ſub eorum imperio Thuringi vbi educendus eſſet exercitus vel aduerſus vicinos Slauos vel hoſtes alios. Qua de re frequentius *Sorabici limitis* duces appellantur, quam *Thuringorum*. Cæterum cur, ab *Arnulphi* regis temporibus, plus aliquid ſibi ſumſerint duces, eius rei rationes patebunt ex ſequentibus.

Præludio libertatis poſt fata CAROLI *craſſi.*

§. X. Quemadmodum enim Thuringos *Carolingicæ* ſolummodo *ſtirpi* fidem addixiſſe, ſupra demonſtrauimus: ita, vbi *Carolus craſſus* deficeret paulatim, nullo *legitimo* filio nec alio quoquam ex *ſua ſtirpe* ſuperſtite, qui par fuerit imperii gubernaculis; res in eundem fere ſtatum

tum deueniſſe, videbantur, qui fuerat poſt exauctorationem *Merouingorum*; vt ſcilicet *ſolutum* iam eſſet, quo tenebantur adhuc Thuringi, ſubiectionis vinculum. Superfuerat quidem *Arnulphus*, *Carolomanni* filius; ſed matre natus *Carentana*, nec *legitima* Carolomanni vxore. Qua de re nullum erat eius ſuccedendi *ius*. (*o*) Fecit tamen *Carolingici ſanguinis* veneratio, vt duraret, ſub *Arnulpho*, Thuringorum cæterorumque populorum Germaniæ, cum *Francico regno*, nexus; ſed illorum magis *voluntate* et ſpontanea *delatione*, quam iuris quadam *neceſſitate*. Neque ergo mirandum eſt, adſpiraſſe iam tum Thuringiæ *ducem*, æque ac cæterorum populorum, ad *maiorem*, in ſua prouincia, *poteſtatem*. Licet non minus id ageret *Arnulpus*; vt regnare videretur *æqua* prorſus, cum ſuis *anteceſſoribus*, autoritate, eiusque luculentum daret, in *exauctoratione Popponis*, Thuringiæ ducis, documentum.

CAP.

(*o*) Quodſi enim *naturalium* filiorum fuiſſet legitima in regno ſucceſſio: potius ius habuiſſet BERNHARDVS, ipſius *Caroli Craſſi* filius, ex concubina genitus, cuius mentio occurrit apud REGINONEM *ad an. 887. add.* ANNAL. FVLD. *ad an. 889*.

 (*a*) Hen-

CAP. IV.
DE
FORMVLA DVCATVS THVRINGICI IN IMPERIO GERM.

Libertas Thuringorum ex pacto recepta.

Extincta deinde penitus in *Germania*, cum *Ludouico infante*, ſtirpe Carolingica, extitit, citra controuerſiam, iſte euentus, in quem coniecta erat, in *pacto ſubiectionis*, Thuringici populi a Francico imperio *liberatio* (c. III. §. 5.). Euanuit itaque iam ſine dubio nexus, non niſi cum *regibus* Carolingicis contractus, eadem prorſus ratione, ac olim euanuerat, in omnibus Germaniæ populis, vbi regnare deſinerent *Merouingi* (c. III. §. 3.).

Ius eligendi principem.

§. II. Sublato vero atque ſoluto ſubiectionis nexu; non poterat non ſumma rerum ad *populum* redire, ipſique iam eſſe integrum; in quem voluerit illam conferre *denuo*.

HENRICI *ſuprematus in Thur.*

§. III. Qua de re, vbi principem ſibi ſumerent Thuringi *Henricum*, Ottonis, Saxonum ducis, filium; (*a*) hic iam ſupremo iure præerat ſuo

(*a*) Henricum ſtatim poſt exceſſum *Ludouici infantis* fuiſſe Thuringorum ducem, conſtat ex LVITPRANDO *lib. II. cap.* 7. Et AVCTOR *de landgrav. Thur.* ap. PISTOR. *c. 8, p. 912.* cum ſucceſſiſſe *Burchardo*, memorat. Obierat autem *Burchardus* an. 909. teſte HERMANNO CONTRACTO et LAMBERTO SCHAFFN. *ad*

ſuo populo, neque vllius *ſuperioris* principis beneficio debebat ſuam poteſtatem; ſed *populi* ſolius. Vt nullo plane modo comparari poſſet cum *ducibus*, qui a regibus *Francicis* inſtituti fuerant olim.

§. IV. Acceſſit deinde Henrico, ex hæreditate patris, *Ottonis*, ducatus *Saxoniæ*, quem ille *Defenſus adverſus* CONRADVM k.

ad b. a. Otto vero dux Saxoniæ, Henrici pater, exceſſit demum an. 913. Vt adeo probabile ſit omnino; fuiſſe Henricum iam Thuringiæ ducem, *viuente patre;* ipſique *poſtea* demum acceſſiſſe ducatum Saxonicum. Neque enim vnquam *Ottonem Thuringiæ ducem* appellari, aut ducali imperio vſum eſſe in Thuringia, obſeruare licet. Cæterum non ignoro, verti hoc telum a plerisque, ad impugnandum archiprincipum Germaniæ, ſupremattum; quaſi nihil dari poſſit *delationi populorum*; vbi conſtaret, pleroſque illos duces, qui tempore *Conradi* præfuere populis Germaniæ, inſtitutos iam ante fuiſſe a *Ludouico infante.* Sed vtinam hi non hoſpites eſſent in iurisprudentia, aut illam profitentes, meminiſſent regulæ: poſſe, continuata eadem poſſeſſione, *cauſam* poſſeſſionis mutari, vt qui iure *adminiſtratorio* primum rem tenuit, incipiat deinde, ex *nouo titulo* atque ius proprium tribuente, eandem poſſidere. Fuerint duces a Ludouico infante inſtituti adminiſtratores. Illud ſatis eſt; redditum fuiſſe populum, iſto extincto, priſtinæ libertati; adeoque exſpiraſſe omnia ducum iura, quæ receperant ex *collatione regum* Francicorum. Tum vero quisque populus deferre potuit imperium cuicunque voluerit. Et viſum fuit ſine dubio e re; vt retinerent eosdem principes, iam *ſua voluntate* regnaturos, qui ipſis præfuerant adhuc, durante nexu cum regibus *Francis.* Eadem prorſus ratione, quam ſupra obſeruauimus de *Ratulpho cap. III. §. 3.*

 (*b*) WITI-

Digitized by Google

ille tenuerat cum eadem poteſtate, propria nempe atque ſumma. Agnouerat *Conradus I.* Francorum rex, Ottonis *principatum* in ſuis prouinciis atque, *pactis* cum eo initis, ſatis duxerat; habere eum ſibi *fidelem.* (*b*) Neque iam *Henricus* abhorruerat ab eodem nexu, cum Conrado, colendo. Sed vbi hic negaret Henrico poteſtatem, a *populo* vtroque *delatam* atque patri *pactis* firmatam, vtereturque vi atque inſidiis, ad deiiciendum aut tollendum prorſus e medio Henricum: ipſi Saxones atque *Thuringi*, ſuorum iurium intelligentiſſimi, autores fuere Henrico, vt, inſuper habita cum rege *Conrado* amicitia, vteretur imperio, quod ab ipſis ſibi delatum eſſet neque opus haberet ad ſui iuſtitiam, exteri regis, qualis erat Conradus, indultu aut agnitione. (*c*) Qua de re, iuſto atque pio *bello*, pro-

(*b*) WITICHINDVS *annal. lib. I. Eius* (Ottonis) *conſultu Conradus quondam dux Francorum vngitur in regem, penes Ottonem tamen* SVMMVM *ſemper et vbique* (in clauſo Saxoniæ ducatu) *vigebat imperium.* Ex quo interpretandus eſt DITMARVS *lib. I. in* LEIBN. *ſcript. Brunſv. T. I. p. 325. Otto ſe cum filiis fidei ac poteſtati Conradi ſubdiderat.* Vt ſcilicet pacta illa et fidelitatis promiſſio, quibus ſe obſtrinxit Otto Conrado, intelligenda fuerint, *ſaluo ſuprematu*, in ſua prouincia.

(*c*) WITICHINDVS *annal. lib. I. p. 635.* ap. MEIBOM. *Patre patriæ et magno duce Ottone defuncto, filio Henrico totius Saxoniæ ipſe reliquit ducatum - - Rex autem Conradus, cum ſæpe exper-*

propulſauit iniuriam; neque quicquam poteſtatis conceſſit *Conrado* in *Thuringiæ* et Saxoniæ prouinciis. (*d*)

§. V. Egit potius pro *ſummo*, quod ſibi competierat in *Thuringia*, imperio Henricus; atque omnes, qui contra ſe fecerant cum Conrado, *proſcripſit* et eiecit e prouincia, applicatis eorum bonis *fiſco* ſuo *ducali* atque inde diſtributis in ſuos milites. Quas violatæ *poteſtatis territorialis* pœnas præſertim luiſſe in *Thuringia*, memorantur *Hatto*, Moguntinenſis archiepiſcopus et *Bardo* atque *Burchardus*, quorum alter gener erat Conradi. (*e*) Vt ſatis inde clarum ſit

Et clauſum territorium.

expertus eſſet virtutem noui ducis, veritus eſt, ei tradere omnem poteſtatem patris. Quo factum eſt, vt indignationem incurreret totius EXERCITVS SAXONICI. *Ficte tamen pro laude et gloria optimi ducis plura locutus. - - - Saxones vero huiusmodi ſimulationibus non attendebant; ſed ſuadebant duci ſuo, vt ſi bonore paterno eum nollet ſponte bonorare,* REGE INVITO, *quæ vellet, obtinere poſſet. Rex autem videns vultum Saxonum erga ſe ſolito auſteriorem* etc. etc. add. DITMARVS *lib. I. p. 325.* Sua itaque non minus, quam ipſius Henrici intereſſe credidit populus; ne quid arrogaret ſibi Conradus poteſtatis, quam duci ſuo contularant ipſi.

(*d*) Vid. WITICHINDVS *cit. l. p. 636. Henricus primus libera poteſtate regnauit in Saxonia.*

(*e*) WITICHINDVS *cit. l. p. 636. Henricus omnia, quæ iuris archiepiſcopi erant, in omni Saxonia et* Thuringorum *terra, occupauit. Burchardum quoque et Bardonem, quorum alter gener regis erat, in tantum afflixit et bellis frequentibus contriuit; vt*

terra

ſit, *clauſum* fuiſſe tum ducatus Thuringici *territorium*, neque vllos ibi toleraſſe incolas aut terrarum poſſeſſores Henricum, niſi ſibi ſubiectos atque fideles.

Regiæ dignitatis acceſſio.

§. VI. Conradus itaque rex, cum ægre Henricum ad *noui regni* compagem reductum iri, cerneret, nec forte ſine iniuriæ ipſi illatæ conſcientia, commendauit eum ſuis *Francis;* quem, ſe defuncto, *regem* eligerent. Dubitauit primum accipere regnum Henricus, quod facile præuideret, quanti negotii res futura eſſet, tueri regiam auctoritatem aduerſus *Arnoldum* et *Burchardum*, Bauarorum atque Sueuorum ſiue reges ſiue principes; quorum prior prorſus alienus erat a reſtaurando populorum Germaniæ *nexu* ſub *rege vno.* (*f*) Sed vicere Francorum atque ſuorum etiam populorum deſideria et communis Germaniæ ſalutis ratio. (*g*)

Fines regundi inter iura imperatoria et ducalia.

§. VII. Obſcurata ſunt parumper *ducalia iura* in *Thuringia* atque Saxonia, vbi acceſſerat harum prouinciarum ducibus *imperiale* decus. Et fuit hæc ipſa plurium errorum atque perturbationum

terra cederent, eorumque omnem poſſeſſionem ſuis militibus diuideret. Gemina his tradit DITMARVS *lib. I. p. 325.*

(*f*) Vid PERILLVSTRIS DOMINI de LVDEWIG *ſingularia iuris publici in præfat. p. 73. ſeqq.*

(*g*) LVITPRANDVS *lib. II. cap. 7.* WITICHIND. *annal. lib. I. p. 636.* DITMARVS *lib. I. p. 325.*

bationum, in explicandis *ducum* Germaniæ iuribus, cauſa. Quos tamen, ſi rite aduertas animum, facile effugeris. Quemadmodum enim, *ante* regnum ſuſceptum, *libera poteſtate* regnauit Otto atque Henricus, in Saxonia et *Thuringia* vniuerſa, nec quicquam poteſtatis *immediatæ* conceſſum fuit Conrado regi, in his prouinciis: ita hic ipſe rerum ſtatus, vt fuit in *Thuringia*, tempore *Conradi*, pro *norma* ſumendus eſt, in diſcernendis iis, quæ, poſt adeptum regnum, egere Henricus eiusque poſteri, in Thuringia tanquam *reges* et quæ iterum *tanquam duces*. Neque enim accedere quicquam illis potuit poteſtatis in prouinciam, per regium honorem, cum, intuitu *regis*, iam *libera poteſtate* regnaret Henricus et, *intuitu* prouinciæ, poteſtatis augmenta expectanda eſſent a *populi* ſeu *ordinum prouincialium* remiſſione et conſenſu; neque ipſi duces aliquid dimittere *voluiſſe* a *ducalibus* iuribus atque *regiæ* ſeu imperatoriæ dignitati potius referre acceptum, temere credendi ſunt. Præſertim quod *ducalis* poteſtas eſſet *hæreditaria*, contra *imperium* deferretur *electione* ſingulis; vt ſubire potuiſſent periculum, nauatæ, aliorum magis, quam ſuæ familiæ commodis, operæ.

E §. VIII.

Iura ducum circa ſacra.

§ VIII. Quemadmodum itaque *Ottoni illuſtri* atque *Henrico aucupi*, contracto etiam nouo cum *Conrado I. fidelitatis* nexu, ſaluus fuit *ſuprematus* ac *libera poteſtas*, in ſuis prouinciis; eius vero nobiliſſimam partem conſtituit *ius circa* ſacra: ita hoc ipſum iis competiiſſe, neceſſe eſt. Qua de re vbicunque Henrici atque Ottones, in Thuringia æque ac Saxonia, *epiſcopatus* atque abbatias *condidiſſe* vel eosdem ſub ſuam tutelam ac *mundiburdium* recepiſſe; epiſcopos ac præſules ſacros *inſtituiſſe* aut ſuper eos eorumque bona *iurisdictionem* exercuiſſe, leguntur: id omne non tam *imperatoriæ poteſtati* imputandum eſt; quam ſuprematui *ducali* (*b*).

§. IX. Ob-

(*b*) Probe intellexit hæc iurium imperatoriorum atque ducalium *diſcrimina*, eaque obſeruari voluit ipſe *Otto M.* vbi in *confirmatione* abbatiæ *Quedlinburgenſis*, in KETTNERI *antiquit. Quedlinb. n. III. p.* 7. de aduocatia ita diſpoſuit: *Et ſi aliquis* GENERATIONIS *noſtræ, in Francia et Saxonia, regalem, poteſtatiua manu, poſſideat ſedem: in illius* POTESTATE *ſint ac defenſione prænuncupatum monaſterium et ſanctimoniales, inibi in dei ſeruitio congregatæ. Si autem* ALTER *e populo eligatur rex, ipſe in eis ſuam regalem teneat poteſtatem, ſicut in cæteris cateruis in obſequium S. trinitatis congregatis. Noſtræ namque cognationis, qui* POTENTISSIMVS *ſit, aduocatus habeatur et loci prædicti et eiusdem cáteruæ.* Vbi enim *tamdiu* ſolummodo in *poteſtate* et defenſione regum voluit eſſe abbatiam; quamdiu fuerint illi ex *ſua ſtirpe:* clare ſatis indigitat; poteſtatem, qua ipſe vſus eſt, ipſi *non ceu regi* competiiſſe ſolum; ſed potiſſi-

mum

mum qua *duci* ac *domino territoriali* in Saxonia. Et hic ipſe *territorialis ſupremàtus* eſt fundamentum *iuris aduocatiæ*, vel ab ipſo domino territoriali exercendi, vel conferendi in alium, ipſius indultu. Vt vero ad *iura* ducum Thuringiæ *circa ſacra* et epiſcopos præſertim, propius accedamus; euidens eſt REGINONIS *ad an. 889.* teſtimonium: *His etiam diebus Luitpertus Moguntinæ vrbis præſul, e rebus humanis ſublatus eſt, in cuius loco ſubrogatus eſt Sunzo*, POPPONE THVRINGORVM DVCE *et Arnulpho rege annuente.* Nam ſicut ſub *Arnulpho*, iam duces adſpiraſſe ad territorialem ſummatum, ſupra dictum eſt: ita hæc ipſa fuit ratio; cur *Popponis* opus fuerit auctoritate, in *Moguntini* archiepiſcopi inſtitutione; reſpectu ſcilicet habito ad epiſcopatum *Erfurthenſem*, qui *vnitus* fuit Moguntinæ eccleſiæ. Cumque Arnulphi regis tempore, iura *ducum* ad id faſtigium nondum perducta fuerint, quo poſtea peruenere, emortuis *Carolingis*: firmiſſimum ſane eſt conſecutionis vinculum: vt quibus iuribus duces Thuringiæ, ſub *Arnulpho* iam vſi ſunt, in epiſcoporum inſtitutione; iis multo magis multoque certius vti potuerint, in regno *Germanico*, poſt Conradum I. Cæterum illud negari non poteſt; aduerſa ſemper habuiſſe ſibi duces hac in re *epiſcoporum* ſtudia; neque quemquam magis adiuuiſſe imperatores, ſuprematui ducum Germaniæ infeſtos, quam ſacros illos præſules. Qui cum in *Francico imperio* ſub regibus eſſent *immediate:* ſuæ dignationis intereſſe credidere, ne iam ſubderentur ducibus aut acciperent ab his *inueſtituram* per annulum et baculum. Diu agitata fuit hæc controuerſia, in *Saxonia* præſertim, de quo vid. HELMOLDVS *l. I. c. 70. 71. 74. et 76.* Iuuit epiſcopos error: quod ius inueſtiendi per *annulum* et *baculum* deriuandum ſit ex *vnctione regali.* Quem exponit WALRAMVS *epiſc. Numburgenſis* in *apologia pro* HENRICO IV. *an. 1090: Longe ante decretum Adriani papæ eiusque ſucceſſorum reges, qui erant* VNCTI, *et maiores domus inueſtituras epiſcoporum fecerunt.* Tuiti ſunt hoc commento vtcunque cauſam imperatoris aduerſus *pontifices*; non tamen ſine iniuria, in ducum, circa epiſcopos ſuos, poteſtatem. Non enim *vnctio* quicquam ad rem facit; ſed ſolus *ſuprematus territorialis*, qui comprehen-

Iura ducum in ciuilibus.

§. IX. Obſeruanda eſt hæc ipſa *perſonarum*, quas egere *Henricus* eiusque poſteri, reges, in Thuringia, *duplex* diſtinctio, in illis etiam iuribus, quæ circa *ſecularia* negotia verſantur. Vbi igitur eos *ius armorum; munimentorum; collectandi*; *legum* ferendarum; *priuilegia* concedendi; *iurisdictionis*, cæteraque, quæ hodie ad ſuperioritatem referuntur, inuenimus exercuiſſe in Thuringia: ipſi non qua imperatores ſolummodo conſiderandi ſunt: ſed qua *duces* atque *domini territoriales*. (*i*)

§. X. Ex

dit ſacrarum ſimul et ciuilium rerum arbitrium. Add. LVITPRANDVS *lib. II. c.* 7. *et* PERILLVSTRIS *Domini de* LVDEWIG *opuſc. de S. R. I. principum poteſtate in ſacris ante paces religionis.*

(*i*) Perpendi meretur, ad hæc intelligenda, WITICHINDVS *lib. I. p. 640. 641.* Quicquid enim ibi de *muniendis* vrbibus, *augendis*que earum incolis; de *militaris* rei atque diſciplinæ emendatione; de *contributionibus*, a ſubditis *laicis* æque ac *clericis* exactis, pro ſoluendo Hunis tributo; de *bello*, in *comitiis* populi decreto aduerſus Hunnos; cæterisque apparatibus atque inſtitutis, Hunnorum incurſionibus obuerſis, dicitur, id omne pertinet ad Saxoniam et *Thuringiam*. Nam cum, in reliquis Germaniæ prouinciis, *duces* eodem *ſuprematu* gauderent, quo *Henricus* in ſua *Thuringia* et Saxonia: belli pacisque cura ad ipſos pertinebat, ceu dominos territoriales. Neque etiam Henicus, *aliis* copiis vſus fuiſſe contra Hunnos, memoratur, præter *Thuringos* atque Saxones. Quin et ipſi Hunni intellexiſſe videntur *diſtinctas*, quas egerat Henricus, *perſonas*; dum in altera inuaſione an. 933. Saxoniæ potiſſimum et Thuringiæ inferrent belli facem. add. LVITPRANDVS. *lib. II. c. 8.*

(*k*) Sic

§. X. Ex quo facile intelligitur, *Palatinos comites*, ſi qui fuerint in *Thuringia*, non imperatoriæ poteſtatis fuiſſe adminiſtratores; ſed *ducalibus* domaniis atque prædiis impoſitos, exercuiſſe *iurisdictionem*, nomine *ducum*. (*k*). *Palatini comites prouinciales.*

§. XI. Man-

(*k*) Sic *Palatinatus Altſtedenſis*, ſiue Saxonicum illum voces ſiue Thuringicum, fuit complexus terrarum atque prædiorum, Henrico aucupi atque Ottonibus, *hæreditario iure* competens, neque quicquam habens commune cum *imperatoria* dignitate. Teſte enim DITMARO *lib. I. p. 324.* Henricus auceps ciuitatem *Altſtedi* primum acquiſiuit ſuæ *familiæ*; matrimonio cum *Hateburchi*, ERVINI, dynaſtæ *Altſtedenſis*, filia, contracto. Pertinuit forte ad hanc *Eruini* hæreditatem oppidum *Wallbuſum*, vix vna leuca diſtans ab *Altſtedto*, quod itidem inter *palatia regia* refert SPECVLVM SAXONICVM, quodque *dotalitii* nomine conceſſit Henricus *Mathildi*, vxori ſecundæ. Vnde eam expulere deinde filii, *Otto* imp. et *Henricus*, coniunctis ſtudiis; vt etiam inde pateat, fuiſſe has terras prorſus *patrimoniales* Henrico aucupi eiusque poſteris. VITA MATHILDIS in LEIBN. *T. I. rer. Brunſv. c. 3. n. 14.* Eodem iure etiam poſt deuolutus fuit *Altſtendenſis* tractus ad *Henricum S.* tanquam proximum *agnatum* vltimi poſſeſſoris, Ottonis III. imp. teſte DITMARO *lib. V. p. 368.* Acceſſit his locis *palatii* nomen, vbi eius domini nacti eſſent *regiam* dignitatem atque ſæpius ibi moram traherent. Sicut hodie dicimus Monachium die kayſerliche Reſidenz; licet *imperatoria* dignitas nihil proficiat imperatori ad eius poſſeſſionem. Ex quo porro clarum eſt; illos, qui tum forte præfecti ſunt his terris, cum *comitis palatini* axiomate, non iura adminiſtraſſe *imperatoria*; ſed *patrimonialia* Ottoninæ ſtirpis aut certe *ducalia*. Sicut enim omnes *comites* ſubiecti fuerant Henricis atque Ottonibus, tanquam *ducibus*: ita *palatini* hi *comites* a reliquis in eo ſolummodo diuerſi fuerunt; quod hi

Clauſum ducatus territorium.]

§. XI. Manſere etiam, in hac imperatoriæ ac ducalis poteſtatis *coniunctione*, ſalua iura *clauſi territorii*; vt ſicut olim *Henricus auceps*, ante quam rex eſſet, ſubiectas ſibi haberet omnes bonorum in Thuringia *poſſeſſores*, epiſcopos, abbates, comites atque ciuitates: ita iam, adepta regia dignitate, duraret nihilominus illorum *ſubiectio*, ex priſtino iure *ducali*.

Exemptio ab ipſo duce indulta.

§ XII. Neque minus egere, ceu *territorii domini*; non vero ceu *imperatores*, cum certis ducatuum Saxoniæ aut Thuringiæ partibus præficerent *peculiares magiſtratus*, cum eodem fere iure, quo ipſi vtebantur, in *ducatu vniuerſo*. Sic *Otto I.* imp. *Hermanno Billungo* terrarum por-

præficerentur tractibus terrarum, quarum *proprietas* eſſet apud *priuatos*; illi contra *comitatum*, ſeu iurisdicundi poteſtatem, acciperent in terris, quarum *proprietas* eſſet ipſorum *ducum* ducaliſque familiæ. Eadem erga *Palatinorum* horum iurisdictio fuit, quam reliquorum *comitum*; a *ducibus* nempe *mandata* atque eorum *nomine exercita*. Neque enim ad *integram prouinciam* pertinuit, ſed circumſcripta fuit limitibus iisdem, quibus continebantur *fundi* Ottoninæ ſtirpi *patrimoniales* aut *domaniales* prouinciæ. Quod vero interdum acta ibi fuerint magni momenti negotia, atque ad *vniuerſam* prouinciam aut etiam *imperium* pertinentia, non locus fecit; ſed *præſentia* imperatorum: neque vllus inde, ad iura *palatini comitis*, argutandi nexus. Cæterum aliam longe faciem induerunt *palatini* comites, vbi ducatus Saxoniæ atque Thuringiæ *diſciſſus* eſſet et extinctus. De quo in cap. ſeq.

Digitized by Google

portionem in Saxonia, non *imperiali* autoritate aut ex bonis imperatoriis, conceſſit; ſed ab ipſo *ducatus territorio* decerptam, quem pater eius atque auus, *Otto* et *Henricus*, dudum *ante* poſſederant, quam delata eſſet in ſuam gentem *imperatoria* dignitas. In *Thuringia* res eodem modo ſe habuit. Qua de re vbi DITMARVS *Merſeburgenſis Eccardum* marchionem *ducatum Thuringiæ* meruiſſe memorat (*l*) tempore *Ottonis III.* imp: id certe non ita accipiendum eſt, quaſi *imperatorio* iure hic egerit Otto III; ſed potius res ita cohæret; vt cum Otto III. qua *dux*, Thuringiæ eſſet *dominus*: ipſe, conſentientibus quidem *ordinibus prouincialibus*, nihil ſibi obſiſtere crederet, quo minus ducalem ſuam poteſtatem in Thuringia cederet alii vel *vniuerſam* vel pro parte. (*m*)

§. XII. Ne-

(*l*) DITMARVS *lib. V. p.366.*

(*m*) Obſeruaui ſupra c. I. not. (*g*) duplex ducum *diſcrimen* in *regno Francico.* Vt nempe alii fuerint *dati* a *regibus*, alii *relicti* atque ab ipſo *populo* conſtituti. Atque hæc ipſa diſtinctio neque in *regno Germanico* negligenda eſt. Fuere quidem Bauariæ, Saxoniæ, Thuringiæ, Sueuiæ atque Venedarum prouinciarum duces, tempore *Conradi I.* ſine dubio ab ipſis *populis* conſtituti. Sed cum primum Francorum populus regi *immediate* ſubiectus eſſet; deinde vero regalis dignitas deferretur ad duces *Saxoniæ* atque *Thuringiæ*: euenit poſtea; vt imperatores etiam *Germanici* præficerent quibusdam terrarum tracti-

bus

Domania imperatoris nulla in Thuringia.

§. XII. Neque porro imperatoria dignitas quicquam profuit Henrico aucupi eiusque poſteris, regibus, ad poſſeſſionem *fundorum* atque terrarum lautiſſimarum in Thuringia, qua illos fuiſſe gauiſos, produnt iſtius æui monumenta. Hæc enim non *domania* fuere imperatorum, ſed *prouinciæ* atque *ducum*, vel etiam ducalis familiæ *patrimonia*. (*n*) Vno verbo: inſtructi fuisſent *Henrici* atque *Ottones* omnibus illis iuribus, quæ hactenus recenſui, ſi vel *ſola* ipſis manſiſſet *ducalis dignitas*, nec vnquam conſcendiſſent ſolium *imperiale*.

§. XIII. Hæc

bus, ipſis *immediate* ſubiectis, magiſtratus cum *ducali* axiomate. Qui quidem *duces* eodem fere cenſu æſtimandi videntur, quo duces a *Francicis* regibus olim *dati* prouinciis; neque ab initio quoad poteſtatem comparari potuere cum ducibus *populorum originariis*. Pertinuere ad hanc claſſem duces *Franconiæ*, duces *Wormatiæ*, *Billungus* dux in Saxonia atque ipſe etiam *Eckardus* in Thuringia. Licet ſucceſſu caruerit *Thuringici* ducatus in hunc translatio. Quod facta eſſet in præiudicium *agnati*, Henrici, ducis Bauariæ; neque conſenſiſſent omnes *prouinciæ ordines*; quorum aliqui tuiti potius ſunt partes *Henrici* aduerſus *Eckardum*. Teſte ipſo DITMARO *lib. IV. p. 358.* et *lib. V. p. 368.* Quod poſtea, vbi *Otto III.* vita functus eſſet, ſucceſſioque in Thuringiæ et Saxoniæ ducatibus delata *Henrico*, clarius apparuit. Tum enim *proceres* prouinciæ, in conuentu *Werlenſi* agnouere ius ſuccedendi *Henrici* ob *ſanguinis* nexum, eumque ſuſcepere dominum.

(*n*) Vid. not. (*l*).

(*o*) Cer-

Digitized by Google

§. XIII. Hæc quidem ad regimen *ipſius provinciæ* pertinent. Supereſt, vt de iuribus ducis atque populi Thuringici, reſpectu ad *vniuerſum imperium* habito, aliquid addamus. Sicut itaque populorum Germaniæ *archiprincipes*, ab antiquo, ſeruauere *ſeparati collegii* ius: ita certe *Thuringorum* duces, etiamſi abfuiſſet imperatoria dignitas, cum ipſo ducatu Saxoniæ, nihilominus vſuri fuiſſent loco et *ſuffragio* in collegio *archiprincipali*.

Suffragium Thuringiæ ducis inter archiprincipes.

§. XIV. Conuenerant olim ad *eligendum imperatorem* omnes Germaniæ *populi*; duces vero eorundem, *ſeparatim* conſidentes, exercuerant ius *prætaxandi* aut *prædeliberandi*. Thuringi itaque, eorumque duces, nec hac in re, cæteris fuiſſent inferiores, niſi mature nimis *extinctus* fuiſſet ducatus. (*o*) Nam cum ab *Henrico aucupe* vsque ad *Ottonem III.* viuentibus patribus ſemper filii deſtinarentur ſucceſſores, ipſique duces eſſent imperatores: non potuit ſe adeo conſpiciendum dare *ius electorale* Thuringici ducis atque populi. Defuncto tamen Ottone III. licet tum non *ſolennia* comitia haberentur; ſed cauſa

Electoratus Thuringicus.

(*o*) Certe iam in *electione Arnulphi* regis, *Thuringi* eodem *ſuffragio* vſi ſunt, quo cæteri populi. ANNAL. FVLD. *ad an. 887. et 888.*

 (*p*) ADEL-

ſa electionis ageretur in *ſingulis* prouinciis *ſigillatim*: habita tamen fuit *Thuringorum* eadem ratio, in *iure eligendi*, quam populorum cæterorum. (*p*) Quod vero, poſt *Henricum S.* Thuringorum nulla, in comitiis, pro *eligendo rege* inſtitutis, peculiaris mentio occurrat; eius rei cauſa in eo quærenda eſt: quod *caruerint duce* Thuringi; proceribus vero prouinciæ negauerint reliqui *archiprincipes* acceſſum in ſuum collegium. Sicut *Sueuiæ* prouincia, ab eodem tempore, deſiit habere ius in imperatoris *electione*, ex quo *ducatus* euanuit.

Neglectus ſchematum ducalium

§. XV. Cæterum licet, ex dictis, *fines*, inter poteſtatem *ducalem* et *imperatoriam* regundi, ſatis pateant: illud tamen certum eſt; abſtinuiſſe duces Thuringiæ, ex quo *imperatoria dignitas* illata fuit ipſorum genti, a *ſchematibus* externis, quæ aliquam habere poſſent *ducalis poteſtatis* ſignificationem. Neque enim 1) vnquam diſtin-

1) In formulis,

(*p*) ADELBOLDVS in *vit. Henrici S.* *§. 11. p.* 433. DITMAR. *lib. V. p. 368.* Et videtur quidem tum in *conuentu Werlenſi* duplex cauſa tractata fuiſſe: primo quidem de *ſucceſſione* Henrici in *ducatibus* Saxoniæ et Thuringiæ; tum vero de conferenda in eum *imperatoria* dignitate. Quod haud obſcure indigitat DITMARVS *lib. IV. p. 358.* verbis: *vt iuramento firmarent, ſe nullum ſibi* dominum *vel* regem, communiter *vel* ſingulariter *electuros, ante conſtitutum in Werle colloquium.*

(*q*) Eſt

diſtinxere, in *publicis monumentis*, quæ quidem ſuperſunt, iura imperatoria a ducalibus; (*q*) vt potius omnibus ſuis geſtis imperatoriam auctoritatem prætexerent. Neque 2) *titulis* ducatuum illos vſos eſſe, apparet, in diplomatibus; neque 3) *inſignibus* in ſigillis. Denique 4) oggeri poſſet etiam illud: quod vſu imperii Germanici venerit, vt prouinciæ, peculiaris *ducatus* vel *principatus* formam nactæ, inſtructæ ſint *quatuor* vel pluribus *officialibus hæreditariis*; quorum tamen in *Thuringia*, iſtius quidem æui, nec vola nec veſtigium.

2) Titulis,

3) Inſignibus,

4) Officialibus aulicis.

§. XVI. Sed repono 1) incuſandum hic magis eſſe negligentiam eorum, qui præfuerant *cancellariæ* regiæ atque concipiendis regalibus codicillis. Solent enim haud raro retineri *formulæ* in cancellariis, principis ſui iuribus parum concinnæ. Et cum conſtet; id ſemper egiſſe *Ottonem M.* vt regnaret in Germania, ad *Francici regni* rationes, ſupprimeretque populorum ac ducum Germaniæ *libertatem*: quis dixerit; annon latuerit ſub hac herba venenum? Deinde

Reſponſio ad 1)

(*q*) Eſt vnicum fere atque maximi faciendum *diploma* Ottonis M. ſupra allegatum, not. (*b*) *p. 34.* in quo occurrit aliqua, imperatoriæ et ducalis poteſtatis, diſtinctio. Quod primum obſeruauit *Perill. Dominus de* LVDEWIG *in ſing. iur. publ. præf. p. 93.*

 (*r*) Ga-

ad 2) de 2) abſuit illud *ſeculum* a longis *titulorum* numeris, vt *præcipuum* poſuiſſe, ſat eſſet. *ad 3)* 3) Idem mos ſeruatus eſt in *inſignibus*. (*r*) Denique *ad 4)* 4) vſus *officiorum aulicorum* in Germania ſatis quidem antiquus eſt; ſed *hæreditaria* illa facta fuiſſe in prouinciis Germaniæ, ab ipſis ſtatim regni Germanici *initiis*, nemo facile probauerit aut, ſi fuerint, ipſas *familias nobiles* indicarit, quibus illa tum adnexa, in quauis prouincia. (*s*)

CAP. V.

DE FORMVLA THVRINGIAE EXTINCTO DVCATV.

***Ducatus Thuringiæ extinctus cum* HENRICO S.**

Poſt fata *Henrici S.* nullus porro *vniuerſæ* Thuringiæ præfuit, cum nomine aut poteſtate *ducis*.

(*r*) Gauiſum quidem fuiſſe Thuringiæ populum iam tum peculiaribus *inſignibus*, ob vſus eorum bellicos, nemo facile dubitauerit. Licet quæ illa fuerint, difficile ſit ad definiendum. Memorat PAVLVS LANGIVS in *chron. Citiz.* ad an. 1024. indulſiſſe Conradum II. imp. Ludouico barbato vetuſtiſſima Burchardi Thuringiæ ducis arma et inſignia. Fuerint hæc forte ipſius populi et prouinciæ. Nam cum ſupra demonſtratum ſit; Burchardum adminiſtratorio iure ſolummodo præfuiſſe Thuringiæ, parum certe conſultum fuiſſet Ludouico, priuatis eius atque gentiliciis inſignibus.

(*s*) Si vera ſunt, quæ de *Ludouico* Barbato memorant *chronici* libri Thuringorum: quod aſſignauerit ei Conradus II. imperator *officiales aulicos* ex Thuringiæ nobilibus: poſſet coniici; duraſſe officiorum illorum memoriam in certis *familiis*; ab ipſis his *ducatus* Thuringici temporibus. (*a*)Tacti

ducis. Superfuerant quidem *agnati* Henrici: ſed iis, ad obtinendum *ducatum*, non tam *ius*, quam *Cæſarum* iuxta et *populi* Thuringici defuiſſe videntur ſtudia. (*a*) Neque *Marchionum* Thuringiæ, quorum in iſto temporum interuallo, quod *Henricum S.* et *Lotharium* Saxonem impp. intercedit, frequens occurrit mentio, ea fuit poteſtas, vt comparari poſſit cum *ducali*. (*b*) Neque *Moguntinorum* archiepiſcoporum in Thuringia *ducatum*, qui nouiori æuo iactari cœpit,

(*a*) Tacti fuere ſine dubio *Thuringi* eadem ambitione, quam de Saxonibus memorat WITICHINDVS *lib. II. p. 644. Saxones, imperio regis facti glorioſi, dedignabantur aliis ſeruire nationibus, quæſturasque, quas habuere, vllius alius, niſi* SOLIVS REGIS *gratia habere, contempſerant.*

(*b*) LAMBERTVS SCHAFFNAB. *ad an. 1062.* ita quidem de *Ottone Marchione* Thuringiæ: *Wilhelmus marchio -- obiit. Marcham Otto, frater eius, obtinuit. Sed is beneficia Moguntini epiſcopatus aliter obtinere non potuit, niſi promitteret, decimas ſe de ſuis in Thuringia poſſeſſionibus daturum et cæteros Thuringos, vt idem facerent, coacturum.* Sed non de *iuſto* quodam *Ottonis imperio*, in Thuringos, intelligendam eſſe hanc coactionem et *æquali* prorſus *iure*, cum Ottone, vſos eſſe reliquos Thuringiæ proceres, explicat idem LAMBERTVS *ad an. 1067. Otto marchio Thuringorum obiit. Gaudentibus admodum in morte eius omnibus Thuringis, eo quod ipſe primus, ex principibus Thuringorum, decimas, ex ſuis in Thuringia poſſeſſionibus, dare conſenſit.* Fuit itaque Otto vnus ex *principibus Thuringorum*; non princeps *ſolus*. Neque aliud patet ex *diplomate*, de conceſſis, ab *Ottone Marchione*, decimis archiepiſcopo Moguntino, quod habet SCHILTERVS *de libert. eccleſ. Germ. Lib. V. c. VI. §. 8.* Neque

 enim

pit, tum temporis vllas exercuiſſe vires, deprehendimus. (*c*) Neque *Ludouico barbato* a Conrado II. imp. data fuit in *vniuerſam* Thuringiam poteſtas. (*d*). §. II. *Ex-*

enim *marchia* ſemper notat *fines prouinciæ* aut *territorii*; ſed complexum agrorum, certis *limitibus* incluſum, in ipſo etiam prouinciæ *meditullio*; quo ſenſu plures fecit *marchiones* in *Italia* OTTO M. Explicat hanc verbi ſignificationem PERILL. DOM de LVDEWIG in *ſing. iur. publ. c. IV. not.* 277. *p.* 344.

(*c*) Tradit AVCTOR *hiſtoriæ* de *Landgrav. Thur. c. IX.* contuliſſe Ottonem M. *Thuringiæ* ducatum, filio ſuo naturali *Wilhelmo*, archiepiſcopo *Moguntino.* Idem refert PAVL. LANGIVS in *chron Citiz.* p. 766. ſed dubitanter. Si quid veri ineſt huic traditioni; accepiſſe videtur *Wilhelmus* gubernandam *Thuringiam* ad tempus, abſente imperatore in Italia; ſicut tum eundem vniuerſæ Germaniæ, *vicaria* imperatoris poteſtate, conſtat præfuiſſe. *Perpetuo* enim iure ducatum ceſſiſſe ipſi *ſedi Moguntinæ*: omni deſtituitur antiquiorum ſcriptorum fide. Neque enim tacuiſſent hanc *Ottonis M.* liberalitatem WITICHINDVS et DITMARVS et ſupereſſent forte ipſa *donationis inſtrumenta.* Neque fieri potuiſſet, vt *ſub Ottone III. Eckardus* ducatus Thuringici tantam acciperet ſpem; ſi quidem tum temporis habuiſſet Thuringia duces Moguntinos. Vt taceam, vix eſſe credibile, neglecturos fuiſſe adeo ſua iura Moguntinos, vt per *aliquot ſeculorum* interuallum, nullum appareat, *ducalis* eorundem poteſtatis, veſtigium. Fuiſſet ſane locus vrgendi *ducalia iura*, in celebri illa, de *decimis Thuringiæ*, controuerſia. Sed altum tum fuit de *ducatu* ſilentium; ſola *epiſcopalia iura* prætexentibus archiepiſcopis.

(*d*) Quam longe abfuerit *Conradus II.* imp. a transferendi *ducatus Thuringici* in Ludouicum Barbatum conſiliis; loquitur ipſum *diploma*, Ludouico ſcriptum, ap. AVTOREM *de Landgrav. Thuring. c. XI.* et PAVLLINI in *annal. Iſenac. p.* 7. ibi: *Cuidam Ludouico comiti conſanguineo noſtro prædium, quod ab incolis Thu-*

Digitized by Google

§. II. *Extincto* itaque iam ducatu, *proceres* Thuringiæ, qui ſub *Ottonibus* atque *Henricis*, tanquam *ducibus*, fuerant adhuc, ſubiecti fuere *imperatoribus*, ſine duce *intermedio*. *Immediatatis origo*

§. III. Qua de re ſicut ducibus ſubfuiſſe *ſacros præſules*, eorumque terras, antea oſtendimus: ita ab hoc demum tempore, quo ducale nomen *euanuit*, apud Thuringos, cœpere eſſe ſub poteſtate *imperatoris ſolius*. *Sacrorum præſulum in Thuringia.*

§. IV. Omnes porro in Thuringia *comites*, qui modo ſub ducum fuerant poteſtate, imperatoribus iam paruerunt *immediate*. *Dynaſtæ* vero, qui *comitatus* iura non habuerant, atque *nobiles* perſtiterunt in obſequio ſuorum comitum; neque, horum intuitu, quicquam fuit immutatum. *Comitum Thuringiæ.*

§. V. Ab

Thuringiæ comparauit, villam ſcilicet Aldenberg et noualia, prope hinc et inde adiacentia, ſcilicet et partem vaſtæ ſolitudinis Loybe, noſtræ dominationi ſubiacentem, quam ei noſtra donatione contulimus, libere et quiete perfruenda, regia autoritate ſtabilita fecimus, quæ his locis et terminis concluduntur - - - et omnia, quæcunque his lucis et terminis circumdata ſunt, cum oppidulis infra poſitis aut ponendis, cum omnibus appendiciis, viis et inviis, cultis et incultis, venationibus, piſcationibus, exitibus et reditibus, cum omni vtilitate, quæ quocunque modo nominari vel dici poſſit, prædicto Ludouico comiti, his regalibus edictis in proprietatem perpetuam ſtabilimus. Deſcripti in diplomate *fines*, quibus comprehenſæ fuere, conceſſæ Ludouico terræ, abſoluunt modicum *Thuringiæ* tractum; neque verbulum addidit Conradus de poteſtate quadam, in prouinciam *vniuerſam*.

(*e*) At-

Palatini. §. V. Ab hoc ipſo tempore *Palatinorum* comitum alia quoque incepit eſſe ratio. Vindicantibus enim ſibi imperatoribus *domania ducalia;* ipſa iam adminiſtrabant, illorum nomine aut accipiebant in beneficium ab ipſis imperatoribus. (*e*).

Vrbium Thuringiæ. §. VI. *Ciuitatum* non vnum genus fuerat in Thuringia. Vel enim ſub *ducibus* egerant ſine comite *intermedio;* vel dominos habuerunt iam antea *comites.* Vltimis tum nihil profecit *ducatus* Thuringici *euerſio;* bene tamen prioribus. Hæ enim iam imperatori ſubiiciebantur *immediate*, reddebanturque *imperiales.* Quam prærogatiuam ſeruant *Mulhuſa*, *Nordhuſa*, cætera.

Iura ducalia vindicata a ſtatibus Thuringiæ prouincialibus. §. VII. Cæterum id egerant Thuringiæ *proceres*, qui ante *Ottonibus* atque *Henricis* ſubfuerant; vt *ſinguli* iam, in *ſuis* terris, iuribus vterentur *ducalibus*; *vniuerſi* vero colerent quendam inter ſe ſocietatis *nexum* atque, collatis in *commune* coſiliis, totius prouinciæ procurarent ſalu-

(*e*) Atque ab his ipſis etiam temporibus cœpit demum *Palatinatus* conferri integris *familiis*, lege beneficiali. Forſan quo æquius ferrent proceres prouinciæ *domaniorum ducalium* iacturam. Accepiſſe eum primum memorantur comites *Goſeccenſes*, quorum familia extincta, ceſſit aliis atque aliis, *hæreditario* ſemper iure, tandemque deuenit iterum ad ſereniſſimam ducum Saxoniæ et Landgrauiorum Thuringiæ familiam.

(*f*) LAM-

ſalutem, in *comitiis prouincialibus.* Vnde eos, *communi nomine*, bella decreuiſſe, *fœdera* ſanciviſſe, interdum *neutrarum* partium ſtudia profeſſos eſſe, legimus (*f*).

Contra vindicantibus imperatoribus.

§. VIII. Contra imperatores, *Conradus II.* atque eius poſteri, *Henrici*, non minori opera in id incubuere; vt regnarent in *Thuringia* eadem poteſtate, qua *Ottones* atque *Henricus S.* qui fuerant ſimul huius prouinciæ *duces*. Ex quo prouenit; vt, cum reliquis iuribus *ducum*, vindicarent ſibi quoque, poſſeſſa olim ab *Ottonibus* et *Henrico S.* tanquam *ducibus*, *domania prouinciæ*, eaque conferrent iterum aliis. (*g*).

§.IX.

(*f*) LAMBERTVS SCHAFFNAB: *dux Otto, - - impetum in Thuringiam fecit, villas regalis fiſci, rebus cunctis affluentiſſimas, incendit, prædam multam abegit. - - Ita populabundus vltra Heſchenwege peruenit. - - Interea Thuringi, qui ſe ante aliquot annos ſacramento obſtrinxiſſent, ne latrones aut raptores inultos ſinerent, rerum ſuarum direptionibus exacerbati, ad arma conclamant, conglobatis propere ingentibus copiis.* Hactenus itaque *neutrarum* partium erant *Thuringi* in bello, quod *Ottoni* duci intercedebat cum imperatore; neque arma ſumebant contra Ottonem, niſi pro conſeruanda, in ſua prouincia, *pace publica*, cuius cura erat penes proceres *vniuerſos*. Paulo poſt, itidem *vniuerſæ prouinciæ* nomine, *fœdera* ſanxiſſe, cum Saxonibus, Thuringiæ proceres atque, *coniunctis* viribus, ſuam defendiſſe libertatem, tum aduerſus *Sigfridum* Moguntinum, tum aduerſus ipſum *Henricum IV.* res eſt, ſcriptoribus illius æui teſtatiſſima. vid. LAMBERTVS SCHAFFNAB. *ad an. 1073. p. 196. 197.*

(g). Iam *Conradus II. domania* ducalia in *Thuringia* ſibi vindica-

Vnde bella cum Henricis IV. et V.

§. IX. In qua iurium *ducalium* aſſertione, cum aperta vi ageret *Henricus IV.* eiusque filius *Henricus V.* imperatores, grauarentque Thuringos *tributis* et exactionibus; extruerent *munitiones* in *prouincia*; extructis imponerent *praeſidia*; denique auferrent quibusdam *poſſeſſiones*, quas olim a *ducibus* acceperant, ſub nexu *beneficiali*: (*b*) armis tandem propulſauerunt iniurias Thu-

dicauerat, quod patet ex eo, quod contulerit *Ludouico barbato partem vaſtæ ſolitudinis Loybe*, eam *ſuæ dominationi* dicens *ſubiectam*. Vide ipſum regium codicillum ſupra not. (*c*). *Loybe* idem eſt ac *ſilua*. Siluæ autem *maiores*, quæ a *priuatis* occupari non potuere, relictæ fuerunt, in prouinciis Germaniæ, domino territorii, inſtar *domaniorum*. Quod docuit PERILLVSTRIS DOMINVS de LVDEWIG, quem nunquam ego ſine intimo pietatis ſenſu nomino, in *opuſc. de venatu*. Poſſederant itaque *Ottones* atque *Henricus S.* vaſtam illam *ſolitudinem*, tanquam *duces* atque domini territoriales. Ducatu iam extincto, eius dominium redire debuiſſet ad ipſam Thuringorum *rempublicam*. Sed aliter viſum fuit *imperatoribus*. Et fuiſſe etiam de hac quæſtione diu diſceptatum: num cedere debeant *domania ducalia* imperatoribus, in ducatu Saxoniæ et *Thuringiæ* diſciſſo et *extincto*; apparuit, vbi, ſub *Henrico IV.* et V. erumperent hæ lites in apertam belli flammam. Ita enim de Henrico V. CONRADVS VRSPERGENSIS *p. 262. et 263. ad an. 1119. Conuentu Rhenanis in partibus habito, tam aduerſariorum, quam amicorum imperator concorditer vſus conſilio, vnicuique, per totum regnum, ſuis rebus ſpoliato, propria concedi praecepit, cunctaque regum antiquorum fiſcalia ſuam in ditionem interim recepit.* Fuerit enim ante inter *cauſas belli*, neceſſe eſt, quod iam erat *materia pacis*.

(*b*) Fuit hæc princeps atque primaria bellorum cauſa, quibus

bus *Henrico IV.* et V. imperantibus, quaſſata fuit Germania: quod aſſeruerint ſibi hi imperatores iura *ducalia* ſeu *territorialia* in Thuringia æque ac Saxonia, contra, potiori iure, eadem ſibi vindicarent proceres, tum *vniuerſi*, in *integra* prouincia, tum *ſinguli*, in ſuis terris. Patet hoc 1) ex ipſis *grauaminibus*, de quibus tum conquerebantur Thuringi et Saxones. Referente LAMBERTO *ad an. 1073. p. 193.* et BERTHOLD. CONSTANT. *ad an. 1073.* Redibant illa ad hæc potiſſimum capita: quod perpetuo *moram traheret* in his *prouinciis* imperator; quod *munitiones* et caſtella exſtrueret, imponeretque illis *præſidia*; quod *angariis* moleſtaret populum; quod denique *tributa* exigeret in prouincia. Iam ſi ad *Ottones* atque *Henricum S.* imperatores reſpiciamus; eos, omnibus his iuribus vſos eſſe, in *Thuringia* et Saxonia, deprehendimus, neque vnquam aduerſatos fuiſſe prouinciæ proceres. Vnica itaque et iuſtiſſima ratio, cur eadem negarent *imperatoribus Salicis* Thuringi atque Saxones, fuerat hæc: quod Ottones egerant perſonam ducis; iam vero, *ducatu*, in *Thuringia*, *extincto*, in Saxonia diſciſſo, eſſet penes ſolos proceres; an eadem vellent indulgere imperatoribus nouæ ſtirpis. Deinde 2) produnt hanc belli cauſam atque inuaſa ab imperatoribus *iura territorialia* ſcriptores. Ita enim de *Henrico IV.* LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS *ad an. 1073. p. 191. magnum quiddam et a nullo maiorum ſuorum antehac tentatum, machinari cœpit; videlicet vt omnes Saxones et Thuringos in ſeruitutem redigeret et prædia eorum fiſco publico adiiceret.* Et de *Henrico V.* OTTO FRISINGENSIS *lib. VII. chron. c. 16. totum regnum vectigale facere volens, multum in ſe optimatum odium contraxit.* Peccauerant enim *Henrici IV.* et V. non ſolum in eo, quod *territorialia iura* ſibi ſumerent, *inuitis* populis; ſed etiam, quod iis vterentur *ſine modo*, neque adſtringi ſe paterentur, in eorundem *exercitio*, ad *ordinum prouincialium* ſuffragia et conſenſum. Quemadmodum autem hæc ſatis probant; *Henricum IV.* et V. imperatores, in vniuerſa *Thuringiæ* prouincia, ſibi aſſeruiſſe iura *ducis* aut domini territorialis: ita porro, licet armis adactus fuiſſet *Henricus IV.* ad illa dimittenda: tamen eadem inuidiſſe ſingulis Thuringiæ proceribus, in ſuis terris, indigitat LAMBERTVS

Thuringi, contracta cum *Saxonibus*, quibus eandem ſeruitutem intendebant *Henrici*, *ſocietate*. (*i*).

Concluſio. §. X. Poſt, cum vix quieſcerent hi conflictus, quas, aſſerendo ſibi *territorialia iura*, in Thuringia, cieuerant *Henrici*: nouam ſcenam aperuit *Lotharius II.* imperator, collata in *Ludouicum III.* comitem Thuringiæ, dignitate *Landgrauiatus*. Sed nobis conſtitutum fuit, de *ducatu Thuringiæ* hic agere. ***Formulam Landgrauiatus Thuringici*** exponemus impoſterum, opuſculo peculiari.

SCHAFFNAB. *ad an. 1074. p. 205. Tandem ancipiti periculo permotus, Henricus, conſenſit - vt caſtella ſua omnia ſine dilatione deſtrueret; ſed ea conditione, vt Saxones et Thuringi, ſua quoque caſtella, quæ tempore regni eius extructa fuiſſent, pari modo diruerent.* Paruiſſe tamen *Thuringos* atque Saxones *conditioni*, nusquam apparet; licet in *imperatoriis* munimentis diruendis, nullas admiſerint inducias aut moram. Teſte eodem LAMBERTO *p. 206.*

(*i*) Cum aliquoties ſopitæ, recruuiſſent ſemper hæ lites ſub *Henrico IV.* et V. tandem an. 1120. deſtitit a poſtulatis *iniquiſſimis*, Henricus V. ſtabilitaque fuere Thuringorum atque Saxonum iura, pace Wirtzburgi concluſa. CONRADVS VRSPERGENSIS *p. 256. Henricus imperator venit, cum ingenti apparatu, in ciuitatem Wirciburg, iuxta condictum. Saxonum vero principes, vna cum Moguntino præſule, cæterisque, caſtra metati ſunt iuxta riuum, qui Werna dicitur. Vnde quia multa, quæ tunc ibi magnanimiter diſpoſita ſunt, enarrare, longiſſimum eſt, ea tantum, quæ etiam cauſa maxima eiusdem conuentus fuerunt, huc annotare ſufficiat. Videlicet pacem firmiſſimam et ab omnibus vniuerſalem, ſub vitæ periculo, legaliter inſtitutam, regalia vel fiſcalia regno, eccleſiaſtica eccleſiis, prædia deprædatis, hæreditates hæredibus, omnique perſonæ vel conditioni propriam adiudicatam eſſe iuſtitiam.*

FINIS.

Digitized by Google

NOBILISSIMO DOMINO

CANDIDATO,

DISSERTATIONIS HVIVS AVTORI,

IOANNES PETRVS DE LVDEWIG,

ACADEMIAE CANCELLARIVS.

S. P. D.

Iuſtum eſt elogium tuum, quod tibi bic, binis verbis, ſcribo. Nam egiſti, per trïennium & vltra, in ædibus meis; ſubſelliis meis adſediſti ſedulo ſtudioque iuris publici & priuati, ciuilis, eccleſiaſtici ac feudalis incubuiſti ſtrenue; præterea, in vita & morum integritate, mibi te ita commendaſti: vt dignum te baberem, quem beneficiis ſubleuarem, cuique indulgerem familiarem in muſeum meum acceſſum. Nolui tamen, vt meis tantummodo muſis te mancipares; ſed alios quoque audires Fridericianæ buius interpretes, theologos, iureconſultos & philoſopbos. Quod conſilium etiam ſecutus es: ne quid omitteres, vnde poſſes, in ampliſſimo ſcientiarum campo, aliqua parte proficere. Vti vero illa mibi metbodus olim adoleſcenti probata vſu; docendo diſcere: ſic eandem tibi quoque commendaui, vt cupidos litterarum tirones inſtrueres, in doctrinarum vario genere. Tentaſti in bi conatibus, quid ualeres, cumque adplauderent illis plures, qui te inſtitutore vſi ſunt: permouit boc virum perilluſtrem & *Saxonicæ nobilitatis* decus *ac* columen, TAVBENHEMIVM, *Naumburgenſis dicaſterii* præſidem eminentem; *vt tuis doctrinis filium commendaret, ad inſtruendum in omni ſcientiarum genere ſtudioque inprimis philoſophiæ & iurisprudentiæ. Atque is idem ille ipſe eſt, quem babeo coloque nunc generum, catbedralis eccleſiæ* Naumburgenſis canonicum *& ſacrum collegam. Ex quo igitur* TAVBENHEMII, *finitis ſtudiis academicis, te boneſta miſſione decorarent,* KRVGIVS, *gener meus,* regis conſiliarius intimus & rerum metallicarum præſes, *te, eodem fine adſciuit: vt*

filium eius, nepotulum meum dilectiſſimum, facie & ingenio commendabilem, formares litteris & artibus. Interea cogitaui ipſe, de te promouendo & decorando, ſuaſorque ac interceſſor fui meis collegis; vt munifice tibi aperirent uiam, ad capeſſendos, in iuris arte & philoſophia, honores academicos. Feciſti etiam bis ſatis in examinibus; vt ſuperſit nunc porro nihil, quam inauguralis arenae conflictus. Tuo marte elucubraſti thema; de quo nunc tibi adplaudo. Putas, mea eſſe, quæ ſcripſeris; ſed tuis viribus debentur omnia ea, quibus, quod audiueras olim, nunc, inſigni acceſſione, corroborauiſti. Imo fiducia præſtantioris ingenii tui, de reique veritate certus, non dubitas, argumentum hoc proponere, ſine vel meo vel aliorum auxilio, propugnandum & defendendum. Probauiſti tua mihi adhuc atque ita animum conciliaſti meum, tibi addictiſſimum. His moribus ſi vixeris porro, neque egomet deſiſtam, tibi bene cupiendi ſtudio. Scis, plures profeciſſe in ſcholis meis; qui poſtea, doctores facti, honeſto plagio, aliena inuenta publicarunt pro ſuis. Quibus egomet nolim inuidere; dummodo non tegere ſolerent furta ſua, autori maledicendo. Quod inſtitutum omnino meretur notam hominis ingrati et parum honeſti. Horum nomina prodere poteris in poſterum & ipſe eo liberius; quo felicior tibi memoria eſt eorum, quæ a me audiuiſti quondam ſemel iterumque. Ego quidem inventionis gloriolam non facio tanti; vt pœniteat ideo operis ac olei. Cum illud refocillet recreetque ſenectutem meam; quod patria iura Germaniæ reſtituere licuerit patriæ, idque tam in publicis, quam in ciuilibus negotiis. Nam ſcis, non ſolum ſcholæ, ſed etiam reipublicæ cauſas plures mihi, a tribus regibus demandatas fuiſſe identidem atque ſerie parum interrupta, longo dimidii quodam ſeculi ſpatio. Vota ſunt ſpesque: vt his ipſis, miti obitu neque inglorio, immoriar. Vale & rem porro age feliciter. Scripſi in FRIDERICIANA die IV. non. Maii menſis CIƆIƆCCXLIII.

Digitized by Google